WILLISIUS
MALE VINDICATUS

SIVE

Medicus Oxonienſis mendacitatis & inſcitiæ detectus.

AUTHORE

Conlone Caſſinio Oſſorienſi Hiber. medicinæ Doctore

Med. 8°. L. 33.

DUBLINI, *Anno*, 1667.

BIBLIOTHECA BODLEIANA

PRÆFATIO

ANceps aliquandiu hæsi refellendumne assumerem Tenebrionis hujus, Oxonienſem ſe Medicum & Pyretologiæ Williſianæ vindicem profitentis, Librum dicam? an Cloacam impuritatum, quas in Examinis authorem paſſim & ad ſingulas ferè periodos ſine pudore effundit. quum enim in illo nihil occurrat ingenuum aut eruditum, nihil aut dictionis politurâ elegans, aut ratiocinii firmitudine ſolidum, occurrat autem ubiq; Impudentia ſupra meretriciam effrons, Ignorantia ſupra chymiſticam arrogans, Maledicentia ſcurrilis, Ineptia fraudulenta, Mendacitas, Impoſtura, æquius ut exiſtimo videbitur lectoribus ingenuis partum tam infamem contemptu & ſilentio obrui quam ſententiam tum peſtiferam movendo modeſtis animis ſcandalum, honeſtis auri-

bus pudorem excitari. Sed quum non in ſolum Examinis authorem Medici Oxonienſis rabies ſe effundat, modum tam effræni Licentiæ imponendum, Veritatiſq; ac publicæ honeſtatis patrocinium ſuſcipiendum duxi. Quod dum efficere conor, præcipuam operam in eo locare conſtitui ut dum adverſarii petulantiam reprimo, ipſe ab ejus contagio immunis deprehendar: quid enim aliud ardui aut difficilis in hoſte tam deſpicabili expectari poteſt, qui Williſii *Cauſam tam perfunctoriè egit, ut illam male defendendo prodidiſſe videri poſſit: Niſi forte* Williſius *ipſe non minus ſui ipſius quam Vindicatoris hujus proditor cenſendus ſit, qui cum Diatribam nullo patrocinio vindicandam peiore apologiâ eruditorum cachinnis expoſuiſſet, vindicatoris nomen operi præfixit in quem procacitatis & inſcitiæ infamia redundaret: atq; huic conjecturæ omnino favere videtur perpetua in utroq; opere ſolæciſmorum puerulis elementariis eru-*

beſ-

bescendorum constantia, adeo ut in alterutrum aptissime quadret illud,

μῆδε λαλῶν πρώην ἐσολοίκισε ——
καὶ μέλλων χαίνειν εὐθὺς ἐβαρβάρισε

Sed quicquid sit de Authore, unum est quod Lectorem *monitum cupio, Vindicatorem hunc qui olim Oxoniæ scurriliter quidem & improbè sed nullo ingenio* Convitiatorem Terræ-filius *egit, & existimationis quam ex tam turpi industria captabat spe excidit,* Willisianæ *causæ quam non Rationum pondere, sed Convitiorum strepitu defensam oportuit, patronum meritissimè fuisse designatum.*

Williſius *male Vindicatus.*

ANIMADVERSIONES IN *Dedicatoriam & Præfationem* Medici Oxonienſis.

CAP. I.

OXonienſis ille *Magnorum* ſi Dîs placet *famæ nominum* Vindex & Hyperaſpiſtes, ut in ipſo operis limine oſtendat quo eruditionis penu inſtructus, quo candoris genio afflatus, cum hoſte ſit congreſſurus; in Epiſtola, quam ſolæciſmo conditam Viro Illuſtriſſimo nuncupavit, queritur *in hac Controver-*

ſia Philoſophiæ nomen laborare. At cujus obſecro? *Harveianæ* ſc. *de Sanguine Sanguificante?* an *Williſianæ* de ſuccis nervoſo & nutritio? magnum ſc. & irreparabile Mortalibus Damnum. Sed Veterator egregius ut invidiam Examinis Authori conciliaret, etiam *experimentalem* viri Illuſtriſſimi periclitari inſinuat: *Experimenta in quibus quotidie vir Illuſtriſſimus verſatur, retortis Mearæ telis* defendere profitetur. At ubi gentium ſunt illa Mearæ tela in experimentalem Philoſophiam contorta?

In proximo Paragrapho, notionum fabros occultæ Philoſophiæ profeſſores exagitat. Crederes illum Paracelſi *Entia pagoica, cagaſtrica, Relollacea*, Helmontii, *Gas, Blas, Duelech*; Will. *volatiliſationes, exaltationes, agglomerationes* perſtringere velle. Sed quis illum cum amicis ſuis, ingentibus illis *Famæ* nominibus commiſit?

Verum enim vero non venit

in

in mentem Medico Oxonienſi illa *Paracelſica, Helmontica, Williſiana* notionum monſtra Criminari. Huic *Terræ filio* cum Ætnæis fratribus, cum *Gigantibus* illis ſuis in Babelicâ novæ medicinæ ſtructurâ ſociis ſatis belle adhuc convenit. Sed in notiones *Logicas*, *Philoſophicas*, *Medicas*, *definitiones*, ſc. *diſtinctiones*, *ſyllogiſmos*, *formas*, *qualitates*, *facultates*, aliaſq; artium & ſcientiarum claves apocalypticas, intellectus humani directrices, fallaciarum redargutrices, inſcitiæ detectrices inſurgit. Illas, ſcholarum, ſc. nugas, ut ait, nebulaſq; è Republica literaria jure optimo proſcriptas exoptat, ne earum operâ novæ medicinæ vanitas & Helmontica vindicatoris inſcitia detegantur. *Vind. p.* 16,17.

Præfationem dedicatoriæ ſubjungit non magis ingenuam ſed magis inverecundam, in qua, examinis Authorem latenter & per inſidias aggreditur, quaſi nova omnia contemnentem, deſpuentem, irri-

dentem: Quam calumniam prævidit Author examinis & præoccupavit in Præfatione ubi dixit: *Liberrimum cuilibet ſemper fuiſſe ac eſſe debere, diverſo à Majorum veſtigiis curſu inſtituto, in Medicinæ Oceano Ingenii vela explicare.* Damnavit tamen & merito perſtrinxit Novos Sciolos & Phanaticos *novorum Luminum* venditatores, qui nihil niſi quod novum ſit audire patiuntur, qui rerum omnium æſtimationem novitate non utilitate metiuntur, qui cum ſint omnis eruditionis experte præclara majorum inventa ridiculo faſtu contemnere, & nefariâ machinatione ſatagunt expungere.

Sed, inquit Oxonienſis medicus *Meara* nec verbo nec injuriâ læſus virum pari morum, Scriptorumq candore inſignem confictis ubiq mendaciis & opprobriis inſectatur Grave ſane crimen ſi non fictum At quo teſte probatum? nullo prorſus. In injuriis quas tu *Terræ*

fili

fili magnis illis *famæ nominibus Carteſio, Harveo, Gliſſonio* factas fingis, paginas diligenter notaſti. Idem hîc etiam præſta, vel te mentitum fatere.

At quis eſt iſte *Williſianus* Scriptorum morumq; candor? *Williſius* à veterum aut recentiorum nullo (ſi *Kergerum* exceperis) nec verbo nec injuriâ læſus, veteres (omnes ſc. cum nullum excipiat) ait, *Sæpius fædè nec minus periculosè lapſos, Illos* (recentiores ut exiſtimo) *in mediâ etiamnum luce cæcutire?* Illos *inſignis pervicaciæ, quæq; viros prudentes, & Philoſophiam profeſſos mininè deceat*, reos pronunciat. (Quæ ejus modeſtia viri Scriptorum morumq; candore inſignis Epitheton apud Medicum Oxonienſem illi conciliavit. *Meara Williſium* nec verbo nec injuriâ læſum (niſi injuria dicenda eſt modeſta errorum confutatio) medicum longé doctiſſimum, virum præſtantiſſimum appellat: Illum à conſilio longè pernicioſiſſimo

Exam. p. 146. Juveni ſtudioſo dato quantum poteſt, purgat. Nihilominus *Meara* ab eodem medico Oxonienſi, *Williſio* ſc. ipſo, aut illius ſaltem patrono, audit Anatomiæ, Philoſophiæ, Medicinæ ignarus: appellatur *fraudulentus*, *perfidus*, *mendax*, *ſceleratus*, *inſidioſus*, *vafer*, *vanus*, *futilis*, *Ranunculus*, *moroſus*, *Iracundus*, *Vultuoſus* deniq; & *crudus ſenex*. Tanti ſc. intereſt *Williſium* eſſe non *Mearam*.

Sed has calũnias ſuo quamq; loco Deo duce meliori ſpongia detergemus: quod ad *Mearæ* vultum & Senectam attinet, ſufficiat dicere, illũ per Dei miſericordiam eâ eſſe *Crudâ viridiq; Senectâ* ut non deſperet Oxonienſem hunc medicum verè crudum & immaturum cum reliquis ejus in convitiorum farragine conſarcinandâ ſymmyſtis, invidiæ ſtimulis & infamiæ conſcientiâ, marcidos ſenio anticipante correptos conſpicari.

Sed unde conſtat medico Oxonienſi *Mearam* cujus nec vultum quod

quod ſciam unquam viderit in arte Chymicâ tam eſſe hoſpitem? quod cum illi nequeat conſtare, mendacii ſe reum ſtatuit; nec enim minus eſt mendax qui quod neſcit quam qui falſum conſultus affirmat. Sed noveris tu *Terræfili Mearam* veros chymicos & chymiam non minus ſuſpicere & colere; quam pſeudo chymicorum, tui ſc. ſimilium ingenia, inſcitiæ & arrogantiæ plena ſpernit & odit: eumq; in praxi non ſolum præparationibus chymicis non multo infrequentiùs quam Galenicis uti, ſed & morborum diagnoſin ab utriuſq; medicinæ, Hippocraticæ ſc. & Hermeticæ fontibus derivare, ita ut altera alteri mutuas operas accomodet, in quo præmonſtratorem habuit celebris memoriæ parentem ſuum, cujus tu authoritatem filio impertinenter objicis.

In Anatomicis autem *Mearam* imperitum dicit Medicus Oxonienſis, quod vaſorum Pecquettianorum, aliarumq; omnium fere

partium usum neget, quod circulationem sanguinis interdum neget, mox ita explicet, ut constet eam illum non intelligere: verum enim vero vindicator in his omnibus falsarium se & impostorem ostendit, eò impudentiorem, quod notatis ad marginem paginis, eo lectorem dirigat, ubi ejus impostura luculenter innotescit, ut non ineptè in illum quadret illud Poetæ *Tu te mihi perfide prodis.* In paginis enim 78, 74, 75, 113. ab illo notatis nihil ejusmodi inveniendum est. Nec enim sanguinis circulationem in toto illo opere negavit *Meara*, nec ut agnosceret aliqua illi necessitas incumbebat, & quamvis vasorum Pecquettianorum usum negaverit, esse chylum ad subclavias deferre, quod & nos luculenter in loco sumus probaturi, alium tamen illorum usum esse non negavit, quem ut exprimeret, nulla fuit oblata occasio: nec illarum aliarumve partium usus negare censendus est, quamvis illos

illos ad Vindicatoris in pleriſq; cæcutientis mentem explicandos non exiſtimet.

At quis es tu *Terræ-fili* qui Philoſophiæ imperitiam *Mearæ* objicis? tu inquam qui in Grammaticis ad ſingulas fere periodos σολοικίζεις? Qui in Logicis & Phyſicis tam peregrinus es & hoſpes, ut ipſa elementa neſcias, & terminos non intelligas. Quod ad *Mearæ Cænam* quam dicis *Adjicialem* attinet, non miror illam tibi diſplicuiſſe: Iſta nimirum *Lactuca* labris tuis diſſimilis, elegantiores præſtolatur hoſpites.

Hinc igitur jejunus abi, nec ferculæ Cœnæ
Hujuſce attigeris: ſed veſcere glandibus Apros,
Aut aſinos inter paleam fœnumq; comeſto.

Nec enim eorum te contubernium aſpernari decet, quibuſcum communem habere *Irrationalem Animam*, te fatentem brevi ſumus audituri.

CAP.

CAP. II.

Williſianæ Pyretologiæ Synopſis à Mearâ rectè exhibita.

Vind. p. 1. SI de *Williſianâ febrium doctrinâ quæ ſentiret* Meara *candidè & ingenuè protuliſſet, neq; erat cur quiſquam illi ſuccenſeret, &c. at quum tanto animi impetu & ardore &c. nimis patet eum invidiæ potius, & ſuo male dicendi genio, quam veritati litaſſe.*

Quum *vindicatori* decretum ſit nihil candidè & ingenuè, ſed mendaciter & convitiatoriè agere, Lectorum hîc cenſuram præoccupandam exiſtimat, animi impetuoſitatem, ardorem, Invidiæ & male dicendi genium *Mearæ* imputando, ut ipſe, exemplo ſaltem, non etiam electione peccaſſe videretur.

Ibid. *In ipſo operis Limine quam temerè pronunciat Pyretologiam* Williſianam

lisianam *numerosis monstrosarum opinionum portentis refertam ?* Ibid.

Quam non temerè id pronunciaverit Author examinis, fidem faciunt ipsius *Willisii* verba, qui in præfatione ad Diatribam de febribus, fatetur, partum illum *paradoxis velut specie monstrosâ* insignitum.

Séq; id scribere in humani generis commodum, &c. Ibid.

Quum Willisius agnoscat febrim, morbum esse à quo tertia pars mortalium cadat, & Author examinis pernicioſos in ejus doctrina Errores detexerit, merito in humani generis commodum scripsisse censendus est.

Poterat quidem Meara, *si quid ingenuè posset, advertere Doctissimum* Willisium *quicquid hic objicitur præoccupasse in præfatione ad tractatum de febribus, ubi satis apertè declarat, praxin medicam à doctrinâ suâ parum aut nihil immutari.* Vind. p. 2.

Missis hic vindicatoris convitiis,

quæ

quæ longè maximam vindicationis partem conſtituunt, ſufficiat notaſſe, illum nullâ utilitate ſed animi cauſâ mentiri: Williſius enim in dictâ præfatione non dixit praxin medicam à doctrina ſua parum aut nihil mutari. Quod ſi dixiſſet, quid illud examinatoris interfuiſſet, qui oſtendit praxin medicam periculoſé mutandam ſi Williſii prævaleret doctrina?

Vind. p. 3. *Nam doctrinæ* Williſianæ *capitibus præcipuis, ſaltem quæ decus & probationem rebus aſtruerent, prudenter omiſſis, ea tantum quæ facilius refelli poſſe videbantur in medium protulit, mox ubi in pauciora quædam Theoremata, haud viceſimam totius materiæ partem, argumenta dicam? an convitia ſtrinxerit,* &c.

Prima Examinatoris de Williſio querela fuit quod multa diceret, nihil probaret: quare ſi præcipua probationum Williſianarum capita omiſiſſet, proprio ſe telo jugulaſſet. Verum ſi ultra viceſimam

viceſimam Williſianæ verboſitatis partem repetiſſet, non ſynopſin, ſed prolixam & enervem nugarum farraignem contexuiſſet: Si autem vel unicum rationum Williſianarum apicem, cujus meminiſſe fuiſſet operæ prætium, reticuit, cur locum aut paginam non aſſignavit medicus Oxonienſis? quod quum non fecerit, illum ſuo more mentiri patiemur. Cæterum quam hîc calumniam examinatori immerito vindicator impingit, nos meliore titulo in ipſum retorquebimus in ſequentibus, eumq; particularibus inſtantiis oſtendemus, dexterrimum Artificem adverſarii argumenta è conſpectu ſubtrahendi, ne cauſam ejus conclamatam evincant.

CAP.

CAP. III.

Animadversiones in caput secundum Vindicationis.

Vind. p. 4. *Senex bonæ spei arietat in febris descriptionem ab eo positam, eamq; calumniatur, quia non est definitio perfecta constans ex genere & differentia, &c. Quid ni æquo jure poterit & anserem culpare quia cygnus non sit factus?*

Examinator in ipso primi capitis Limine notaverat *Willisium* in tertii capitis summario definitionem febris fuisse pollicitum. Idem pag. 15. notaverat *Willisium* conscium quam imperfecte febrim definivisset, ejus descriptionem exhibere licet definitionem promisisset: Id Terræ filius ingeniose subticuit, ut occasionem arriperet *Mearam* culpandi, ac dicendi, anserem pari jure culpari posse quod Cygnus non sit factus. Præviderat

viderat & præoccupaverat hanc argutiam *Meara*, dicendo aliquem pro *Williſio* forte reſponſurum, illum non accuratam febris definitionem, ſed deſcriptionem, ejus naturam utcunq; exprimentem, exhibere voluiſſe, & regeſſit *Williſium* talem deſcriptionem exhibere debuiſſe quæ partem affectam ſaltem explicaret, quam objectionem artificioſé diſſimulavit Vindicator, quum quod referri poſſet non occurreret. Tandem Examinator *p.* 8. objecerat, *Williſium* qui veterum de febre doctrinam evertere, aliamq; aſtruere aperte profitebatur, novæ doctrinæ accuratam apodixim, quæ abſq; definitione haberi non poteſt, proponere debuiſſe, vel veteris doctrinæ aſſeclas inſignis pervicaciæ, quæq; viros prudentes & Philoſophiam profeſſos mimimé deceat, non inſimulare: Cujus objectionis pari prudentia nec minore fraude obliviſcitur Vindicator.

Williſius

Vind. p. 5. Willisius *febrim tantum describere profitetur, forsan quia putavit rei cujus natura admodum Lata atq; diffusa est, quæq; species sub se multiplices continet definitionem exactam vix quadrare?*

Dogmatici plures agnoscunt febris species quam *Willisius*, multóq; majorem in illis diversitatem ostendunt. In omnibus tamen unam rationem genericam inveniunt, cujus ratione omnes illæ difficultates Levi negotio conciliantur & in perfectæ definitionis Cancellos compinguntur, quod novam medicinam parturientes, omnino nequeunt assequi.

Ibid. *Attamen quid si dicamus vel invitâ* Mearæ *Dialecticâ febrim hîc recte definiri?*

Id si dixeris Terræ fili & non probaveris, *Meara* concludet *Willisianam* definitionem *Anserinam* esse non *Olorinam.*

Ibid. *Atq; sanguinem esse subjectum, ejusque effervescentiam & motum inordinatum esse febris causas*

sas tum formalem tum efficientem.

Igitur ex medici Oxonienſis Logica idem erit ejuſdem rei cauſa efficiens & formalis, adeóq; idem efficiet ſeipſum: doctè & præclarè.

Satis prolixâ argumentatione (quam quidem ille, ne ignorent poſteri quantum ſit verſatus in proborum Authorum monumentis, ex Sennerto *i. de febribus, cap. 1. ſuffuratus eſt) evincere nititur, quod calidi Innati mala Temperies ſit febris cauſa tum formalis tum efficiens.* Ibid.

Ne ignorent poſteri quam male medicus Oxonienſis *Sennertum* intelligat, quam imperitè *Mearam* calumnietur, ſtupida utriq; mendacia imponit. Nuſquam enim dixit *Sennertus*, nuſquam *Meara* calidi Innati malam temperiem febris eſſe cauſam tum formalem tum efficientem. Dixit autem loco citato *Sennertus* partes ſolidas eſſe febris ſubjectum, cauſam (formalem ſc.) eſſe calorem præter naturam in corde accenſum. In proximo autem Capite efficientes

entes febris causas enumerans, eas ex Galeno quinq; constituit, motum (corporis non sanguinis) putrefactionem, pororum constrictionem, contactum rei calidæ & rei calidæ admixtionem. *Meara* similiter febris subjectum posuit partes solidas, temperamenti vero, sive calidi Innati ametriam posuit febris quidem causam formalem, efficientem autem, non febris, sed actionum in febre vitiatarum, quæ febris sunt effectus: tam scitè sc. Medicus Oxonienſis causam cum effectu confundit.

Vind p.6. *Cumq; calidum Innatum in solidis partibus constituerat, inde infert febris essentiam non in sanguinis, sed in partium dyscrasia consistere: quam subtiliter & acutè hæc! ergo secundum Te omnis febris erit hectica.*

Clodius accusat mæchos, Catilina Cethegum. Plagiarius iste qui nuper furti ex Senerto *Mearam* detulerat, jam furti ex eodem *Sennerto* manifestus deprehenditur.

tur. Consule *Terræ-fili* hæc *Sennerti* verba & furtum agnosce. *Neq; si solidis tantum corporis partibus morbum tribuamus, idcirco omnis febris erit hectica.* Sed potuisti Tu ex ejusdem Sennerti verbis tuæ objectionis (si tamen tuum dici debet quod furto acquisivisti) solutionem haurire, ubi dixit. *Notandum enim calorem solidis partibus duobus modis inesse posse* [illegible] sc. & [illegible]: priori Ephemeras ac putridas, posteriori hecticas attribuit; quæ solutio quantumvis vera, non impedit quo minus ego aliter, nec minus verè respondeam triplicem esse in partibus solidis substantiam, spirituosam sc. carnosam & seminalem; dicamq; Ephemeras in spirituosa, putridas in carnosa, hecticas in seminali consistere.

i. De feb. c. 1.

Sed jam supponamus *Mearæ* argumentum ex *Sennerto* fuisse haustum: idcircóne responsò indignum censeri debet, quia fuit *Sennerti*? An non tu potius (quæ

tua est solertia) ideo *Sennerti* possessionem repetis, ut furtum vociferando supprimeres argumentum, cujus hæc fuit summa.

Sanitas & morbus sunt contraria: ergo à contrariis causis oriuntur: at sanitas ab actionum integritate procedit: ergo morbus ab earundem vitio. Actionum autem integritas à temperamenti partium solidarum eupragia procedit: ergo earum vitium ab earundem partium cacopragia. Rursus, *Contrariorum sive sanitatis & morbi idem est subjectum: ergo cum actionum integritas in partibus solidis ut subjecto hæreat, earundem vitium, sive morbus in iisdem partibus ut subjecto hærere debet.* Huic argumento respondisse debuit Vindicator si *Willis.* voluit defensum.

Vind ibi. *Discrimen inter febrim hecticam & Synocham vel Galeno & priscis Medicis (quos ita revereris) judicibus statuitur, quod hæc in sanguine, illa in solidis partibus fundatur.*

Nec

Nec Galenus, nec antiquorum quisquam febrim aliquam in sanguine fundari dixit: fundari enim idem apud te debet significare quod subjecto inhærere: omnes autem tum prisci tum recentiores immediatum febris subjectum ponunt Cor: febris autem humoralis causam efficientem statuunt sanguinis incalescentiam, quâ mediante Cor & reliquæ partes accenduntur, ut examinator expressis notavit verbis in Examinis pag. 10. ubi ansam tuæ cavillationi præclusit. At Tu, quem statim *Causam cum effectu* confundentem vidimus, jam pari insciti â *subjectum cum causa efficiente* eâq; non immediata confundis.

Contenderat Examinator sanguinem non esse febris causam efficientem, quia omnes corporis viventis actiones à principio vitæ participe oriuntur: sanguis autem in hunc censum admitti non debeat, quem sic adoritur Vindicator.

Vind. p. 7. *Hic contra rationem primo, & ipsius sensus testimonium, negas sanguinem vitæ participem, cum sit ipsius vitæ fons, ejusq; uti & animæ sensitivæ subjectum immediatum, id quod ex* Harvæi *observatione liquido constat, vel (quia hujus authoritatem contemnis) tui ipsius oculi (modo in Anatomiensis quicquam versatus) te doceant sanguinem primo vivere.*

Papé! quantus argumentorum cumulus! quantum robur! quas turres adamantinas non deliciari tot machinæ ac tam terribiles! Ratio, sensus testimonium, *Harvæi* observatio, proprii oculi, Recte omnia: sed rationem omnino nullam adducit Vindicator, nullam *Harvæi* observationem, nullum sensus indicium, proprii oculi refragantur. At inquit, *Harvæi authoritatem contemnis.* Equidem existimo *Mearam Harvæi* authoritatem nihili facere: observationes tamen ejus, si quas experientiâ vel autopsiâ comprobandas adducit

ducit, recipere & revereri: ejus autem observationem quam à te hîc intelligi (locum enim nullibi, quod sciam, assignasti) arbitror, quia tu tergiversaris, in medium ego adducam. Illa habetur libro de Gener. Animal. exerc. 14. pag. 58. edit. Amstelred. Ubi dicit, *In inspectione ovi secundo incubatus die nihil sanguinis apparere, sed albam maculam cum quibusdam circulis albis tanquam circino ductis qui punctum album pro centro habent, quæ* Exercitat. 15. p. 68. *dicit esse partium solidarum lineamenta: sanguinem autem quarto tandem incubatus die, sive tertio inspectionis accedere lineâ exili purpurascente rutilantem testatur in eadem* Exercitatione 14. quem sanguinem alibi dicit, *non in centro* Pag. 62. *puncti, sed in Limbo exteriore* (*qui* Glissonio *chorion membrana est*) *primum apparere.* Hæc illa est celebris *Harvæi* observatio quam vindicator (nullam enim aliam aut ille producit, aut mihi videre

contigit) toties citat pro ſanguinis vita & primogenitura aſtruenda: ſed quomodo alterutrum hinc deducat, paradoxum eſt: nam quod ad primogenituram ſanguinis attinet, illi hanc obſervationem refragari manifeſtum eſt, quum ſolidarum partium lineamenta ante ſanguinem exiſtere conficiat: Vitam autem ſanguinis hinc fortaſſe ideo colligi contendet, quia ſimul cum ſanguinis acceſſu, non antea, pulſatio conſpicitur; verum cum pulſatio ve ad ſpirituum vitalium productionem, ut communiter Medici dogmatici, vel ad ſanguinis ex chylo elaborationem, ut aſſerunt nova Medicinæ compilatores, inſtituatur, idq; alibi quam in corde fieri non poſſit, recte concludi poteſt facultatem pulſificam non ſanguini ſed cordi aſcribendam eſſe, quia ſanguis, non in corde ſolum & arteriis, ſed etiam in venis pulſaret ſi propriâ vi pulſaret: non pulſat autem cor ante acceſſum ſanguinis

ſanguinis, quia fruſtra pulſaret ante acceſſum materiæ quam elaborare debet. Hoc argumentum tam fuſé proſequendum duxi, ut illud impoſterum repetere non ſit opus in pluribus locis ubi à vindicatore allegatur.

Quin etiam ſacræ Literæ hoc clarè teſtantur ubi ſanguinis eſus interdicitur, quia ſanguis animalium vita eſt. Ibid.

Sacræ literæ per vitam intelligunt nutrimentum, quod pro examinatore facit qui ſanguinem fatetur corporis nutrimentum.

Textus Hebraicus quiddam amplius ſignificat, nempe ſanguinem eſſe animam, unde impietas quam tu Harvæo *imputaſti, in te potius redundat qui hæc ignoraſti.* Ibid.

Terræ filius non ſine ratione ad textum Hebraicum provocat qui in Latinis ferulam ad ſingulas paginas meretur. Animæ igitur eſſentia non conſiſtit in *Williſii* (textui Hebraico non refragaturi) ſpirituum animalium ſyſtaſi, diataxi

diataxi, hypostasi, sive umbratili subsistentia, sed in sanguine: at tu statim dixisti sanguinem esse vitæ atq; animæ immediatum subjectum: verum subjectum animæ non est ipsa anima. Sed supponamus in *Harvæi* & Medici Oxoniensis gratiam sanguinem esse animam, quid inde sequetur? nempe sequetur in febre Animæ non corpori medendum esse, cum ex *Willisio* febris subjectum sit sanguis id est, anima, non corpus sive partes solidæ: quam subtiliter & acutè sacras literas interpretatur Terræ filius? quam ingeniosè *Harvæum* impietatis absolvit? quam consequenter sua & *Willisii* dogmata connectit?

Vind. p. 7, 8. *De sanguinis vita infrà fusius dicetur, ubi ostendemus sanguinem esse caloris principium, atq; calidum quod dicitur Innatum omnino à sanguinis influxu pendere: unde facile sequitur non calidi Innati æthriam sed sanguinis ipsius dyscrasiam febris esse causam.*

Bene

Bene est quod alicubi inferius sanguinis vitam astruere, eumq; caloris principium esse probare intendas: hactenus enim nihil præstitisti. At inquis, *calidum Innatum à sanguinis influxu pendet:* Concedo dependere ut à pabulo quo continuo reparetur: hinccine concludis sanguinem esse caloris principium? æquo jure concluderes cibum & potum esse hominis principia à quibus ut pabulo dependet. Præterea qualis est hæc consequentia? Calidum Innatum à sangninis influxu pendet: ergo non calidi Innati ametria, sed sanguinis dyscrasia est febris causa: ego æquè rectè concluderem baculum esse in angulo.

Dixerat Examinator febris essentiam non consistere in sanguinis effervescentia, propterea quod hæc sine illa esse possit & è contra, & instantiam fecerat in febre hectica, unde ita insurgit Vindicator.

Itane

Vin. ibid. *Itane credis in febre hectica ſanguinem ſupra modum non efferveſcere?*

Sanguinem in febre hectica primaria & ſolitaria ſemper efferveſcere nec Examinator, nec quiſquam prudens credit, cum in principio adeo exilis ſit calor, ut cognitu difficillimum ſit an æger febricitet, quod non contingeret ſi febri ejuſmodi motus & fervor ſanguinis eſſent conjuncta.

Ibid. *Undenam igitur in hoc morbo pulſus celer & creber, genarum rubor, calor in volis manuum, ſudores nocturni?*

13 In primo hecticæ gradu, qui tamen vera eſt hectica, non ſunt ejuſmodi ſigna: in ſecundo & tertio hæc provecti morbi ſigna adſunt: nimirum niſi hæc ſigna adeſſent uon dignoſceret morbum Medicus Oxonienſis, ac proinde febrim in initio facile curabilem præ ignorantia invaleſcere permitteret, ægrumq; perire. In principio febris hecticæ nunquam

nunquam adeſt genarum rubor, qui non niſi ab anathymiaſi putrida ex viſceribus emergente oritur, quando ſc. putridæ ad hecticam fit epigeneſis: pulſus celer & creber cum poſſit eſſe abſq; aliqua febre, etiam in principio febris hecticæ nonnunquam cernitur: ſudores nocturni à populatoria caloris hectici indole, etiam in principio nonnunquam apparent, nec tamen ſanguinis efferveſcentiam aut motum comitem habent. Fiunt enim nonnunquam à plenitudine, quam citra febrem per ſudores natura per cutim amandat. Neutrum igitur horum ſignorum, ſi ſit ſolitarium, febrim hecticam oſtendit, neutrum etiam non ſolitarium ſanguinis efferveſcentiam & motum ſemper teſtatur: in ejuſmodi enim ſanguinis motu & efferveſcentia pulſus eſt vehemens & impetuoſus, quod à celeri & crebro non parum differt.

Vind. p. 8. *De febre hectica rectè obſervavit Doctiſſimus* Williſius *eam ſæpiſſime à pulmonum, quandoq; etiam ab aliarum partium ulcere inteſtino procedere: quod* Galenus *etiam innuit, &c.*

Doctiſſimus oportet fuerit *Williſius* qui hæc obſervaverit quæ nullus Medicus unquam negavit, nullus vel maxime ignarus ignoravit, ut ſupervacaneum fuerit *Galeni* authoritatem adducere. Sed cum quæſtio ſit an febri hectica ſolitaria poſſit eſſe abſq; obſervabili ſanguinis effervescentia, non de ſymptomaticâ aut complicatâ quales *Williſius* expreſſit loco à te citato, tu indoctiſſimè has cum illâ confundis, *& ineptiſſimè quæris quî poteſt ulcus in loco privato latitans calorem in ſolidis totius corporis partibus accendere, niſi quod prius Labem ſanguini aſpergat, eumq; ferveſaciat.* Nec enim quæſtio eſt an ſanguis in febre caleſiat, ſed an ſanguinis incaleſcentia partibus ſolidis non

non calefactis febrem ſemper accerſat.

Hoc Doctiſſimus Williſius *ca.* 11, *de febribus, clarè oſtendit, licet tu illum febris hecticæ conſiderationem* Omnino *prætermiſſe falſo affirmes.*

Doctiſſimus *Williſius* in capitis tertii ſummario febris definitionem & diviſionem pollicitus, primum, ut vidimus, vel non præſtitit, vel male præſtitit. Secundum ad Septimum caput diſtulit, ubi indoctiſſimé febrim hecticam, quam inter continuas memoratam oportuit, omiſit, nec vel ſemel nominavit: in undecimo vero ſolam ſymptomaticam nominavit, ſed nec naturam ejus expreſſit, nec ſubjectum aut cauſas enarravit, nec an aliquando ſolitaria ſit ſive primaria vel leviter inſinuavit. Cæterum *Mearæ* imponit *Terræ-filius* dum ait eum *falſo* affirmare *Williſium* febris hecticæ conſiderationem *Omnino* præteriiſſe: *Meara* enim ſolumodo

dixit

dixit *Williſium* ejus non meminiſſe dum febris ſpecies ex triplice fermentationis modo oriundas enumeraret. Vindicator *Omnino* ex ſuo adjecit & periodi finem fraudulenter omiſit.

Alteram fervoris & motus ſanguinis inſtantiam fecerat Examinator in Rheumatiſmo, ſcorbuto, multis morbis cutaneis, menſium profluvio, narium & hæmorrhoidum fluxu ſanguinolento. Cui regerit Vindicator.

Vin. p. 10. *Huic facile erit referre, quod licet in ejuſmodi caſibus ſanguis commovetur, tamen non proprie efferveſere dicatur, ſaltem* Williſianâ *efferveſcentiâ.* Sed quæ nam tandem eſt illa? *Nulla niſi quam particulæ ſulphureæ aut ſpirituoſæ nimis exaltatæ, aut particulæ heterogeneæ ſanguini confuſæ induxerint.*

At unde conſtare poteſt ejuſmodi particulas ſpirituoſas aut ſulphureas exaltari aut heterogeneas ſanguini miſceri, niſi ex ſanguinis

guinis motu & efferveſcentia? Cum igitur in Rheumatiſmo & Scorbuto ejuſmodi motus & efferveſcentia advertatur, conficitur particulas ſpirituoſas & ſulphureas exaltari, vel heterogeneas ſanguini miſceri, & conſequenter *Williſianam* efferverſcentiam in illis contingere, quæ cum contingat ſine febre, ſequitur febrim à ſanguinis efferveſcentia eſſe ſeparabilem, quod examinatori fuit probandum.

Præterea in *Exam. p.* 14. obſervaverat *Meara* (quod ſilendo faſſus eſt Vindicator, & ſi neget quotidianâ convincetur experientiâ) ſanguinem in Scorbuto & Rheumatiſmo, ſaltem inveteratis, detractum ſemper putrem & aduſtum apparere, quod prægreſſum incendium & fervorem certiſſimé indicat. Unde conficitur quicquid Vindicator de particularum ſpirituoſarum & ſulphurearum exaltatione, vel heterogenearum admixtione fateatur vel ne-

get, ſanguinem ejuſmodi corruptum inter putreſcendum incaluiſſe, & ex eo calore in motum inſurrexiſſe, quod quum contigerit ſine febre, examinatoris theſin inconcuſſam oſtendit.

Vind. p. 11 *In Scorbuto, Rheumatiſmo & Morbis cutaneis plerumq; particulæ ſanguinis ſalinæ exaltantur, & commotæ quaſdam cient inordinationes: quæ cum ſint incendii incapaces, febrem generalem non inducunt; quandoq; tamen prædicti affectus, quatenus particulæ ſalinæ exaltatæ alias etiam commovent, febrem anomalam aut febriculam conjunctam habent.*

At quænam tandem ſunt hæc novæ Medicinæ myſteria? febris *generalis*, *anomala*, *febricula*. Febricula oppoſitam debet agnoſcere febrem gravem ſive intenſam. Febris anomala oppponitur regulari, & neutra ad quæſtionem attinet, quâ quæritur an febris poſſit eſſe abſq; motu & effervescentia ſanguinis, vel è contra.

Febri

Febri generali debet opponi febris aliqua particularis: sed quænam tandem est illa? nisi intelligat febrem in communi quatenus suas species comprehendit, quod æqué à proposito nostro aberrat. At forte intelligit febrem omnes corporis partes occupantem, eámq; contradistinguit à febre parti alicui peculiari insidente: sed febris affectus est universi corporis, vel saltem cordis, inde reliquis partibus communicatus; quare non potest dici particularis: & si daretur ejusmodi febris in parte aliqua particulari, an non illam communicandam reliquis per motum sanguinis circularem juraret Medicus Oxonienſis?

At, inquit Vindicator, *Particulæ salinæ licet moveantur, cum sint incendii incapaces, febrem non excitant.* Sed erroneum est dicere particulas salinas exaltari & moveri citra incalescentiam, cum, motus in alteratione & fermentatione contingentis, calor sit prin-

cipium. Sal vero suapte indole ad motum sit ineptus: quod & chymici debent agnoscere, qui salem coagulationis & fixationis principium statuunt, quibus motus & exaltatio opponuntur: hinc duo videntur consequi: primum, salem quando volatilis evadit non moveri per se, sed propter admixtionem sulphuris: idem enim non potest esse oppositorum principium: secundum, in quacunq; alteratione salem moveri contingat, ibi sulphur adjungi necesse esse: ex quibus facile deducitur, vindicatorem frustra ad particulas salinas tanquã incendii incapaces recurrere.

Sed quicquid dicamus, decretum est vindicatori nullam efferveſcentiam febris excitativam agnoscere, nisi qualem ob sulphur exaltatum in vino deprehendimus. Verum quum febris à *Willisio* definiatur, motus & efferveſcentia sanguinis, & utrumq; in Rheumatismo, Scorbuto, mensium & hæmorrhoidum profluviis conspiciatur,

ciatur, ſequitur ex *Willſii* ſententia ejuſmodi morbos nunquam poſſe eſſe ſine febre, cujus contrarium non raro experimur. Nec (quantum ad præſentem quæſtionem attinet) refert an ejuſmodi motus & efferveſcentia à ſale an à ſulphure procedant, quanquam in promptu ſit oſtendere vini efferveſcentiam non tam à ſulphure quã à tartaro proficiſci, quem particulis ſalinis magis quã ſulphureis abũdare non eſt quod ambigẽmus. *Vind. p. 11*

Quod ait Vindicator, *Incaleſcentiam ſanguinis à vini potu aut citato exercitio quæ ſtatim ſedatur febrem non eſſe*, libenter agnoſco, & magnopere contra ipſum facit. Sanguis enim ita incaleſcens & confeſtim attemperatus, permanentem partibus ſolidis calorem non imprimit, ac propterea febrim non accerſit, unde apparet partium non ſanguinis incaleſcentiam immediatam febris cauſam eſſe.

Addit Vindicator: *Hæmorrhagias immenſas abſq; febre contin* *Ibid.*

tingentes ſæpe febricula præcedit.

Quid tum ſi ſemper non præcedat?

Ut plurimum immoderata ſanguinis profluvia in Scorbuticis, aliisq; hæmorrhagiæ obnoxiis contingunt quia partium tonus valde laxatur, ut vaſorum oſtiis debiſcentibus ſale fixo multum imbutis, ſanguis arteriarum oſcula reſeret, venarum autem difficulter ſubeat unde foras erumpit ſine immodica perturbatione.

Vind p. 12

Sanguinem citra fervorem in ejuſmodi motum inordinatum non erumpere conficit tum corruptela in ſcorbuticorum ſanguine jam memorata, tum æſtus & impetuoſus ejus ab una parte ad aliam curſus & recurſus, tum deniq; ipſa oſtiorum apertio ſanguinis acrimoniæ à nimio ardore oriundæ aſcribenda. Interim par eſt *Tennæ-filio* gratulemur tam propitiúm ſalis hujus fixi ingenium in eius gratiam arteriarum oſcula reſerantis & venarum obturantis

Præ-

Præterea in istis casibus sæpe ad- Ibid.
sunt ingentes viscerum obstructiones ut sanguis eorum anfractus libere pertranstre nequeat.

In febribus intermittentibus viscerum obstructiones negantem videbimus Medicum Oxonienſem, quæ circulationem alicubi impediant, quas hic nullâ utilitate concedit. Ipsæ enim obstructiones sanguinem morâ & ventilatione negatâ accendunt, ut æstu mirabili cieatur, & quaquaversum feratur ut exitum inveniat, quo negato viam sibi vi aperit, ut ex historiis tum *Mearanis de Balmanno* & muliere Bristolienſi, tum *Willisianâ* a te, quem penes fides sit, relatâ constat: In quibus ægris quum sanguinis orgasmus & effervescentia citra partium solidarum inflammationem contigerit, febris non fuit accensa quantumvis sanguis in caluerit.

Quod ad fluxum sanguinis men- Vin. p. 13.
struum attines videtur quod sanguis ad turgescentiæ plenitudinem

aſſurgens efferveſcere incipiat: ſed quoniam maſſa ejus ab iſta evacuatione depletur & eventilatur, temperiem recuperat: è contra quando fluxus menſtruus ſubito ſupprimitur, obſervare eſt febrem ſuccedere.

Sæpius dictum eſt ſanguinis quemcunq; fervorem, niſi morâ partes ſolidas accendat, febrem non inducere, ut in fluxu menſtruo nec valde tardante nec diu ſuppreſſo contingit: ſi autem omnino non ſuccedat, vel ſubito ſiſtatur, morâ partes ſolidæ incaleſcunt: ſi autem tempeſtiva ſequatur evacuatio, quantumvis ſanguis incaleſcat, febris non ſequitur, quia partium ſolidarum inflammatio ab evacuatione prævenitur.

Ibid. *Atqui ut ſanguis alicubi exitum inveniens ubertim prorumpat, efferveſcentiâ nihilo magis opus eſt, quam ut idem è vena pertuſa ſponte ſuâ effluat.*

Solertiſſimus *Terræ-filius* à quæſtione libenter aberrat. Hic enim non

non controvertitur, an sanguini, ut invento exitu ubertim erumpat, efferveſcentiâ opus ſit: hoc enim illi cum vino aut aqua commune eſt, quæ vaſis pertuſis violenter erumpunt: ſedan eidem, ut, quem admodum in Scorbuticis, vi ſibi viam aperiat, efferveſcentiâ ſit opus: quemadmodum ſi quis quæreret, an vino quod inter fermentandum vaſa diligentius obturata diſſilire facit, major inſit fervor, quam eidem extra fermentationem, ſi patente exitu prorumpat.

CAP.

CAP. IV.

Mearæ *adverſus* Williſium *argumenta reticet Vindicator.* Martini Kergeri *de* Williſio *Elogia* Williſii *Rationes pro ſucco nervoſo diluuntur.*

IN Capitis hujus titulo *Gliſſonii* ſuccos nervoſum & nutritium ſe aſſerturum magnificè pollicetur Medicus Oxonienſis, at neutrum præſtat, ſed quoad ſuccum nervoſum, *Gliſſonium Gliſſonio* ipſi defendendum committit; ſucci nutritii propugnandi alium pollicetur locum, quod pari fide præſtabit. Quinimmo clientis ſui primarii, nempe *Williſii*, nudum & inerme latus *Mearæ* telis exponit, nec vel leviter excuſat ejus inficetiam, ſuccum nutritium contra Græcorum omnium ſenſum Græcâ voce non chylum ſed chymum vocantis; nec rationem reddit

dit cur eundem, non recentem & vegetum, ſed veteraſcentem & effætum, partium nutritioni deſtinet, nec cur ſuccum nervoſum ſanguini miſceat & remiſceat contra *Gliſſonii* mentem aſperam & ſcabroſam naturam partium nutritioni ineptam à ſanguine contracturum: Ne tamen nihil omnino dixiſſe videatur, ita pro *Williſio* decretorié inſurgit.

En hic grave crimen Williſio *objectum, nempe quod multa dicat, ſed nihil probet.* Vin. p. 14.

Non ſolus Examinis Author id criminis *Williſio* objecit: etiam *Martinus Kergerus* eundem movet lapidem, & in *Williſio* probationem deſiderat tot παραδόξων quibus referta ejus ſcripta ſunt: ego hîc pauca ex libro ejus de fermentatione ſubjungam, ejusde *Williſ.* elogia alio in loco exhibiturus. *Martinus Kergerus* de Ferment. Sect. 1. Cap. 3. fol. 15. *Verum cum Authori huic* (Williſio) *familiare ſit, ſua ſine probationibus ponere, non anxie*

anxiè in ejus confutatione ulterius laborandum censeo, quoniam allata eâdem facilitate quâ ponuntur tolluntur. Idem Sect. 1. Cap. 12. fol. 107. *Quod tamen totâ diatribe non probat, vel quo modo intelligendum sit, non edocet: unde refutatione quoque non eget.* Id. p. 120. *Verum hæc quidem dicuntur sed sine omni addita probatione, quare vereor] ne veritatis Philosophicæ examen sustinere non possint.* Justissimam hanc *Kergeri* contra *Willisium* accusationem vindicator diluit *Mearam* culpando, quod *Propositiones suas minime cohærentes syllogismis tantum &* Capreolis *è dialectica mutuatis vinciat & connectat.* Sed indulgendum est *Terræ-filio* ut fictitiis & nihil significantibus terminis sermonis elegantiam inter ignaros ostentet: Indulgendum pariter *Willis.* ruinosum Pyretologiæ ædificium experimentis & instantiis impertinentibus fulcire. Quin immo orandus est ne methodum

Vindic. ibid.

suam

ſuam elegantem dii boni! & accuratam, ſolæciſmis nimirum paſſim conditam *Spinoſis* (quos non intelligit) *Logicæ elenchis aſperam reddat & incultam.* *Vin. p. 17.*

Verum, inſtat vir egregius, ſuccum nervoſum, quin immo & nutritium à Doctore Williſio *gratis aſſignari: De ſucco nervoſo perpendat ille quæ ab Authore noſtro in tractatu de Anatome cerebri ſcripta ſunt, & argumenta pro ejus exiſtentia ibidem allata diluat ſi poſſit.* *Ibid.*

Examinis Authori nec vacat, nec operæ pretium exiſtimat perpendere tractatum *Doctoris Williſii* de Anatome cerebri, quo illum *Terræ-filius* ideo credo remittit, ut elogia quibus eum *Williſius* ibi accumulat, pluribus innoteſcant, quibus ut vicem reddat, *Williſium* nullibi ſine *doctoris*, *clariſſimi*, *doctiſſimi*, additamento compellat: ita ſc. *muli invicem ſcabunt.* Ego vero ut *Medico Oxonienſi* rem gratam facerem, eo me contuli & *Doctoris Williſii*

Williſii Doctorales Ineptias in iſtius tractatus capite vigeſimo percurri, rationes ejus, ſeu potius rationum umbras, immo ne umbras quidem, perpendi, adeóq; me jam facti pænitet, ut temporis in illud impenſi jacturam pretio non levi velim redemptam. Sed *Terræ-filio* obſequendum, & *Doctoris Williſii* nugis reſpondendum eſt.

Will. Anatom. Ceerb. cap. 20. *Niſi ſpiritus animales jugiter emanantes in tali latice, ſucco ſ. nervoſo, qui illis pro vehiculo eſt, fundarentur, ipſi non eſſent contigui, neque animæ ſenſitivæ ſyſtaſin connecterent aut continuare poſſint.* In capite autem proxime præcedente *Animæ ſenſitivæ hypoſtaſin, ſive eſſentiam in ſpirituum Animalium diataxi ſive ordinatione* poſuerat, *quæ ſolummodo ſit ſpirituum illorum ſyſtaſis quædam ſive umbratilis ſubſiſtentia.*

Non Lectore tuis opus eſt, *Williſii*, ſed Apolline, libris. Quis enim tot ænigmata comprehendat?

dat? in quibus, si quid significent, tot sunt errores, tot stupores quot verba. Animam sensitivam non agnoscis esse substantiam, sed accidens, seu quod minus est, substantiæ modum, spirituum scilicet diataxin sive ordinationem; quod idem de rationali affirmare debes cum in homine animæ, sensitiva & rationalis non distinguantur, sicuti nec in bellua, sensitiva & irrationalis sive belluina: deinde ais animæ sensitivæ systasin per spiritus animales connecti: hîc nuperam assertionem tuam tu ipse destruis, animam substantiam agnoscendo, sed discretam, quæ opus habeat vinculo quo partes ejus connectantur; quas etiam alio vinculo, succo sc. nervoso contineri, ne effluant, te statim asserentem videbimus, atq; ita vinculum vinculi in infinitum ut constituas necesse est, nisi ostendas cur primum vinculum alio vinculo magis opus habeat quam secundum tertio & sic de cæte-

ris. Quid autem hoc est quod ais, animæ sensitivæ essentiam esse umbratilem subsistentiam? hîc Oedipo quopiam opus esset: at forte animam sensitivam non credis realiter sed tantum umbraticè subsistere, eamq; ut & reliquas *formas & qualitates inania esse figmenta* existimas, ut dixisti initio tractatûs de fermentatione; ex quo censu quomodo animam rationalem excludas arduum est conjicere. Quisautem credat spiritus animales latice quopiam tanquam vehiculo indigere? an scilicet ut expeditius moveantur? cui enim alteri usui inserviret vehiculum? Atqui humor quicunq; impedimento potius in motu foret spiritibus, qui fere in instanti per modum irradiationis quocunq; latice velocius ferri debent: quod tu in eodem capite nono affirmas ubi ais, *Spiritus Animales systematis nervosi partes irradiare ac citissime trajicere, ita ut vix lumen per medium diaphanum celerius feratur*

quam

quam spirituum ab una extremitate ad aliam communicatio instituitur.

Sed (ait *Willisius*) *absq; humore ejusmodi spiritus animales non essent contigui.* Sed nuper dixerat illos animæ sensitivæ systasin connectere, quod ut exequantur, illos non tantum contiguos sed etiam continuos esse oporteret: ad hoc autem ut sint contigui non opus esset liquore aliquo seu vinculo, licet ad continuitatem vinculum esset necessarium. Sed perinde est *Willisio* contiguum dicat an continuum.

2. *Hippocratis* authoritatem urget *Willisius* dicentis Convulsiones fieri ab inanitione & siccitate, quod ideo ait contingere quia humore in nervis aut fibris deficiente, spiritus ab invicem distracti sejunguntur, tamen ut mutuos amplexus & manuum quasi complicationes usq; retineant, corpora continentia flectunt, contrahunt, & in Spasmos agunt. Sed

Hippocrates dixit Convulſiones fieri ab inanitione & repletione; fiunt autem Convulſiones ab inanitione propter defectum ſucci nervum nutrientis unde ſicceſcit & facultati motrici propter rigiditatem inobediens redditur: immo & brevior, ut in chordis arefactis videmus, unde membra contrahuntur, ut non neceſſe ſit anteles iſtas manuum complicationes & ſpirituum mutuos amplexus comminiſci, niſi & in chordis contractis alios etiam ſpiritus, alios amplexus & manuum complicationes ſomniemus: nec ad nervi teneriem & humiditatem conſervandam, præter proprium nutrimentum, ſuccum aliquem nervoſum fingi neceſſe eſt niſi & particularem cuilibet membro ſuccum ab ejus nutrimento diverſum aſſignemus. Sed *Williſio* facile ignoſcemus, ſi *Hippocratis* mentem non aſſequutus ſit, cujus ne unicam pagniam illum unquam legiſſe exiſtimo. Interim obſerve-

mus

mus convulſionem, immo & rigiditatem, non à ſola nervi ſiccitate ſed nonnunquam à frigore congelante, à plenitudine diſtendente, à cicatrice, callo citra ſpirituum animalium defectum contingere poſſe.

3. *Argumentatur* Williſius *tendinum partiumq; nervoſarum vulnera & abſceſſus Ichorem tenuem ſanguini diſſimilem fundentes, teſtari ſucci nervoſi diffuſionem, quod etiam in gangliis & tumoribus ſtrumoſis obſervamus.*

A *Gliſſonio* ſuffuratus eſt hoc argumentum *Williſius*, cui & ab Examinis Authore reſponſum eſt hujuſmodi humores, non eſſe ſuccum aliquem nervoſum a partium ex quibus effluit, nutrimento diſtinctum, ſed earum eſſe alimentum ſemicoctum, quod effluat retentricis vitio à vulnere vel abſceſſu debilitatæ & alimentum ad juſtæ aſſimilationis tempus retinere nequeuntis. *Gliſſon. Anatom. hepat. c. 45: Meara Exam. p. 33.*

4. Urget *inter dormiendum ſuccum nervoſum in cerebrum & nervos uberius influentem eorum meatus obſtruere, qui vigilantibus oſcitationes & pandiculationes efficiat.*

Succus igitur nervoſus in Cerebro vel nervis non generatur, ſed aliunde illis communicatur. Sed unde obſecro? in proxima pagina dixerat illum à cerebro & nervis in totum diſpenſari: hic illum cerebro & nervis communicari contendit: Quantus contradictionum Labyrinthus? atqui oſcitationes & pandiculationes à flatibus oriuntur, non meatus cerebri ſed muſculorum poros obſtruentibus, quos ab humore aliquo non oriri, diſſipationis facilitas & promptitudo oſtendit.

Deniq; ait *Williſius, in promptu eſſet oſtendere quod à nervoſi humoris depravatione melancholia, mania, & mirabiles quædam affectiones convulſificæ procedunt.*

Dolendum

Dolendum eſt *Doctorem Williſium*, horum affectuum ætiologiam tam expedite demonſtrabilem, poſteris invidiſſe. Interim obſervabimus illum objectioni, quam ſolvendam ſuſcepit, non reſpondiſſe, quâ quæritur cur ſectis nervis nullus ejuſmodi ſuccus effluat, cur iiſdem ligatis nullus tumor ſupra ligaturam obſervetur. Quod enim dicit, ſuccum nervoſum tam eſſe ſubtilem, ut aſperius tractatis nervis, in vapores abeat imperceptus, ſomnium eſt ridiculum: Si nervi ſectionem præceſſiſſet diuturna frictio vel attritio, poſſet forte concedi humorem tenuem in vapores reſolvi, cujus tamen exiſtentia aliunde probari deberet: in ſectione autem quæ ſubitò fit, quid ejuſmodi evaporationem efficere poſſit? Quod ulterius ait, animalum recens natorum nervos ligatos ſupra ligaturam tumere, ut verum ſit, parum refert, niſi & in adultis idem contingat, quibus & major ſpirituum animalium, &

conſequenter, ſucci nervoſi copia dèberet ineſſe. Sed in his quiſquiliis tantum temporis impendiſſe pudet & piget.

Ad Medicum Oxonienſem jam revertamur, à quo alterius ſucci probationem quam pollicetur ad Calendas Græcas expectabimus.

Hîc *Terræ-filium*, deſerto *Gliſſonio* pro *Harvæo* luctantem contemplemur, quod priuſquam aggrediatur *Mearæ quoſdam errores dicat? an obſtinatas contra veritatem opiniones non poteſt non advertere, dum ſanguinem ad partes nutriendas per arterias aut nervos deferri autumat. Incertus nimirum* Meara *utro ductu ſanguis ad partes feratur, ſapienter ambos ſimul innuit, cum ſi ſanguinis motum circularem intellexiſſet, planè ſcire venas ſanguinem à partibus ad cor referre, deferre nulli.*

Vin p. 18.

Author

Author Examinis *pag.* 32. attulerat verba *Gliſſonii* negantis roſcidum humorem à partium nervoſarum vulneribvs ſtillantem, viſcoſum à fracturis exudantem per venas aut arterias deferri poſſe: Eadem verba ſed ſenſu affirmativo, repetit *Meara*: primum fraudulenter ſubticet Vindicator. Uter igitur cenſuram meretur, *Gliſſonius* qui dixit, *Meara* qui repetiit; an Vindicator qui ejuſdem criminis (ſi crimen dicendum eſt) *Gliſſonium* abſolvit *Mearam* damnat?

Tandem hoc caput ſine Vindicatione concluſurus Vindicator facultates *concoctricem*, *expultricem*, *retentricem* ingenioſé irridet, quaſi ſcholarum nugas nebulaſq; experimentalis Philoſophiæ jam inclareſcentis ſole diſſipandas, quarum facultatum patrocinium ſuſcipere non eſt hujus inſtituti: interim quomodo Retentricem negare auſit *Terræ-filius*, *Vin. p. 19.*

qui partium tonum laxatum, id est, *Retentricem* debilitatam hæmorrhagiæ in Scorbuto contingentis causam agnoscit? cujus debilitatæ prætextu *Willisium* se nuper defendisse putavit, qui vasorum oscula nimis laxa, chalybis usu constrinxerat? quid enim hoc aliud fuit quam *Retentricem* coroborare?

CAP.

CAP. V.

Hiberni Philosophiam Oxoniæ primum docuerunt Harveiana *sanguinis facultas sanguifica male defensa, Vindicator fatetur Animam* Irrationalem *sibi cum brutis communem. Elegantes ejus rationes pro sanguinis cum corpore cohæsione.*

Quin ego arbitror te succum nutritium, qualem Willisius *descripsit, non omnino discussisse: immo ne unum argumentum aut rationis umbram contra existentiam ejus attulisse* & *postea. Quare tu supponere mavis contra* Willisium *quam probare.* *Vind. p. 11*

Willisius in diatribâ de febribus *opponentis* partes sustinet contra veteres Medicos, ideoq; argumentis probare debuit intentum, nihilq; proponere nisi quod probandum susciperet: proposuit autem

&

& ſine aliqua *probationis* umbra ſuppoſuit ſuccos nutritium & nervoſum. *Mearæ* è contra pro veteribus ſuſtinuit munus *defendendentis*, ac proinde non erat illi neceſſe argumenta aliqua proferre, ſed argumentis adverſarii reſpondere: & ſi quando *opponentis* rationes argumentis oppugnavit (oppugnavit autem ſæpiſſime) id ſupererogatorié & ſine neceſſitate fecit, ac proinde dum Vindicator ait, *Mearam* ſupponere contra *Williſium*, non probare, oſtendit quam parum calleat leges diſputandi.

At vero Ormonienſis quiſpiam ut
Vin. ibid. Harvæum *pro abſurdo, ridiculo & impio habuerit?*

Si *Harvæus* abſurde, ridiculè, impie ſcripſit, quid vetat Ormonienſẽ quempiam ejus abſurditates, impietates, ineptias riſu dignas detegere & refellere? Tu autem noveris Ormonienſem forte quempiam, certé *Hibernum*, Philoſophicum *Oxoniæ* ſtudium primum aperuiſſe, qui ſi jam viveret, pudore ſuf-

ſuffunderetur Cathedram ſuam à Profeſſore in ipſis Philoſophiæ elementis pueriliter balbutiente occupatam conſpicatus.

Ea quippe Mearæ *vox eſt tanquam Ranunculi è paludibus* Hibernis *invitâ naturâ orti, invitâ modeſtiâ coaxantis.*

Nulli in *Hibernia* Ranunculi invitâ vel volente naturâ oriuntur, nulli invitâ modeſtiâ coaxant: *Oxoniæ* nonnulli, ubi & novam Medicinam, & Philoſophiam profitentur.

Inſigniſſimus Harvæus *animalium generationes ſedulo explorans experientiâ comperit viventium productiones fortuito atomorum concurſui attribuendas non eſſe.* Vin. p. 21, 22.

Cum larva egregie luctatur Vindicator qui diſcurſum prolixum de quæſtione non controverſa contexit.

Porro inter ipſas corporis partes, &c. parti iſti quæ ante alias producitur, quæq; ipſius animæ ſubjectum eſt immediatum, principatum deberi ſequetur. Inter

Inter omnes corporis partes proprie dictas nulla poſt aliam exceptis dentibus producitur, ſed omnium filamenta & ſtamina ex ſeminali materia ſimul jaciuntur, nutrimento ex ſanguine proportionaliter illis accedente pro cujuſq; exigentia. Sed in vindicatoris gratiam concedamus unam aliquam ante alias formari.

Hanc vero demonſtratione oculari conſtat eſſe ſanguinem: quare cum ſanguis ante viſcera quævis formata exiſtit, ſaltem ante hepar & lienem quæ vulgo ſanguificare perhibentur, cumq; iſte à primo fetus conceptu micare incipit, ejuſq; flamma ſine viſcerum ope indies dilatatur, quid obſtat quo minus ipſe per ſe nutrimentum accipiat, & aſſimilet, quodq; materiam partibus aliis primo formandis & poſtea ſemper natriendis ſuppeditet.

Demonſtratio ocularis quam hic venditat Vindicator nulla alia eſt quam illa *Harvæi* quam

ante

antea exhibuimus ex Exercitatione 14. ex qua quamvis conſtet partium ſolidarum lineamenta ante ſanguinem apparere, cujus etiam Examinator non ſemel *Williſium* monuit, ea tamen eſt vindicatoris impudentia ut eandem cantilenam tam frequenter occinat. Igitur falſum eſt ſanguinem à primo fœtus conceptu inſtar ignis accenſi micare; falſum ejus flammam ſine viſcerum ope indies vel unquam dilatari, quum in corde viſcerum nobiliſſimo vel nullibi dilatetur: falſum deniq; ſanguinem ante hepar & lienem formata exiſtere: eorum enim filamenta ſimul cum reliquis partibus formantur, licet filamentorum interſtitia ad parenchymatum formationem non repleantur ante acceſſum ſanguinis, qui illis non à corde nondum abſoluto communicatur, (quod & ipſum ad parenchymatis ſive ſubſtantiæ carnoſæ formationem ſanguine indiget) ſed ab utero per vaſa umbiliciala, in fœtu viviparo

viviparo, in pullo per vasa illis analoga.

At dato sanguinem nutrimentum suum sibi assimilare, (Nam quanquam sanguis non nisi improprié nutriri dicatur) nonne à quopiam alio nutrimentum ejus assimilari posset? nulla equidem consequentiæ necessitas inter has propositiones intercedit: Sanguis ante alias partes existit, ergo nutrimentum suum assimilat.

Hic autem omitti non debet insignis impostura vindicatoris. Quum enim quæstio sit an sanguis activé & efficienter reliquas partes nutriat, ut ex *Harvæo* & Examinis Authore clarum est, ille statum quæstionis subdolé dissimulans (nisi forte non intellexit) ad passivam nutritionem, quam omnes sanguini concedunt transiens dicit sanguinem materiam primo formandis partibus, & postea nutriendis suppeditare.

Quod autem partibus primo formandis sanguinem dicat materiam

riam præbere falſum eſt, quum notum ſit partes formari ex ſeminali materia, creſcere autem & nutriri ex ſanguine.

Meara *è contra pro dilectiſſimo ſuo idolo Calido Innato (quod tamen abſq; ſanguinis influentia nihil eſt) acriter contendit: quare hujus dominium aſſerendum ſtatuens, moderamini ejus functiones omnes aſcribit.* Vin. p. 23.

Meara nullas calido Innato functiones aſcribit à partium quibus implantatur functionibus diſtinctas. At abſq; ſanguine nihil poteſt cum ſit ejus pabulum quo continuo reparatur.

Interim ut ſanguis non ſit omnino pars corporis, ſed quiddam ſecundario productum. Ibid.

Sanguinem ante alias partes produci, vel partem corporis proprie dictam eſſe, id eſt, ſolidam & viventem ſemper negavit Examinator: quod vero ſanguinem quiddam ſecundario productum affirmaverit, mendacium eſt.

Verum

Vin. p. 124 *Verum quum ad sensum pateat sanguinem visceribus ac partibus aliis omnibus priorem esse, non satis mirari possum pertinacem* Mearæ *animum qui cum veteribus errare maluit quam veritatem indubitatis Neotericorum inventis erutam amplecti,* & postea. *Nam ad sensum patet sanguinem visceribus partibusq; aliis omnibus priorem esse.*

Quis crederet quempiam tam esse perfrictæ frontis ut sensuum testimonium prætenderet ubi eodem testimonio mendacii quotidiè convinci posset? in ovi autem incubatu constare potest cuicunq; curioso partes omnes delineari aute accessum sanguinis: quod & *Harvæum* fateri sæpe monuimus.

Vin. ibid. *Præterea quid perspicuè magis liquet quam animam* (Irrationalem *intelligo, quæ nobis cum Brutis communis est*) *in ipso sanguine fundari?*

Libenter concedo animam *Irrationalem Willisio* ejusq; vindicicum brutis communem esse: de cæteris hominibus

hominibus idem affirmare impietas eſt Chriſtiano, ignorantia Oxonienſi Philoſophiæ cathedrâ indigna. Rationi autem conſonum eſt Animam quamcunq; ibi inhærere (quod tu fundari inſulſè dicis) ubi ejus actiones elucent: elucent autem, non in ſanguine, ſed in partibus ſolidis: quod inductione & actionum enumeratione ſatis evincitur: ſi enim animæ actiones ſunt loqui, ambulare, apprehendere, videre, audire, guſtare, &c. quis illas ſanguini attribueret, cum clarum ſit non ſanguinem ſed os loqui, pedem ambulare, manum apprehendere, oculum videre, aurem audire, & ſic de cæteris? vel potius animam illas actiones per dicta organa, non per ſanguinem efficere.

Partes ſolidæ pertundi, ſecari & mille modis abſq; vitæ periculo vulnerari poſſunt. At cum ſanguis nimis profunditur, aut actione cordis impeditâ ejus circulatio in- Vin. p. 26

terrumpitur anima sensitiva statim disperditur.

Sapientissimus humanæ fabricæ artifex multiplicia in homine organa constituit ad multiplires functiones & actiones obeundas, quarum quædam ad vitam simpliciter, aliæ tantum ad commodiorem necessariæ sunt. Contingere igitur potest ut illa organa commoditatis, non necessitatis gratiâ condita, citra vitæ periculum, sed non citra functionum quibus dicata, fuerunt abolitionem pertundi, dividi, & secari possint: Sanguis autem etiam in magna quantitate citra incommodum aut ullius actionis aut functionis dispendium profundi potest, & aliquando debet quamvis nullius præter plenitudinem, vitii reus: hinc constare potest quas nugas pro argumentis adducat vindicator.

Ibid.

Porro ubi sanguinis influxus à particulari quovis membro inhibetur

tur, quid tunc tuum calidum Innatum poteſt? certè nec ſeipſum, nec partes continentes tutari poteſt, quin iſtæ ſphacelo brevi corripiantur.

Sæpius diximus calidum cujuſvis membri Innatum, niſi ſpiritus influentis ſupplemento continuò reparetur, marceſcere: ſpiritus autem influentis materia eſt ſanguis, cujus influxus continuus ad ſpirituum conſervationem neceſſarius eſt ut & alimenti ad partes ſolidas.

Examinis Author contra *Harvæum* de ſanguinis hæmatoſi diſferens dixerat, ſanguinem non poſſe chylum in ſe convertere, cum non habeat organa chyli recrementis excernendis neceſſaria: quem ita adoritur Vindicator. *Vin. p. 27.*

Hic videtur Meara *pro captu ſuo in coquinariis magis* quam *in chymicis verſatus rerum ortus & productiones æſtimare*, & poſtea. *Intel-*

ligere potuerat sanguinem in corde non secus ac vinum in dolio propriæ fermentationis operâ elaborari.

Medicus Oxonienſis tabernis ut videtur & proſtibulis aſſuetus magis quam dialecticæ aut Medicinæ, quum nihil fere niſi vinum & dolia loquatur aut ſapiat, non advertit quæſtionem hîc controverſam phyſicam & anatomicam eſſe, non chymicam.

Nam hæmatoſeos munus non niſi partium organicarum veluti plurium manuum adminiculis & miniſteriis peragi poſſe credit eodem forſan ritu ac in pulmento conficiendo fieri aſſolet.

Meara & omnes prudentes credunt hæmatoſin plurium organorum adminiculis fieri, eâq; propter complura organa à naturæ artifice conſtructa fuiſſe: Hîc autem Medicus Oxonienſis

sis coquinariam vel potius pulmentariam melius intelligere videtur, quam Medicinam aut Anatomen.

Si, uti ipse de se prædicat, naturæ consultissimus esset, intelligere potuerat, sanguinem in corde & vasis, non secus ac vinum in dolio, proprie fermentationis opere an virtute elaborari. Ibid.

Mearæ non est ingenium tam Thrasonicum: nihil ejusmodi unquam de se prædicavit: sed mentiendi privilegium concedendum est Medico Oxonienſi. Quod vero attinet ad comparationem inter sanguinis elaborationem in corde, & vini fermentationem in dolio, ego respondeo longé disparem esse utriusq; rationem, cum dolium id solum vino tribuat, ut illud contineat & defendat ab ambientis injuriis, cor autem etiam calorem, quem fermentum mavult appellare Vindicator, sanguini com-

municet. Quod ſi neget, reſpondeat cur in vaſis à corde remotis ſanguis perinde ac in corde non elaboretur: ſi propriæ tantum fermentationis vi elaboratur. At ſanguinem in hæmatoſi omnino fermentari in loco ſumus negaturi.

Harvæo objecerat Examinator ſanguinem non poſſe chylum concoquere cum vaſis huic muneri deſtinatis, ſit deſtitutus: & præoccupaverat ſolutionem quæ poſſit adferri, nempe chyli impuritates inter circulandum in veſiculam fellis & lienem deponi, & repoſuerat contra Naturæ providentiam eſſe chyli impuritatibus ſanguinem inquinari, quas in promptu ſit eliminare priuſquam in cordis thalamos ferantur : quod ita redarguit Vindicator.

Sed dicas velim per quas vias hæc
Vin p.29. *fiet ? profecto ſi partium iſtarum Anatomiam vel modicè* calluiſſes, *neq; hoc unquam aſſerueras, neq; potueras tot paſſim errores aut ipſe admittere aut* Harvæo *imputare.*

Pro-

Profecto ſi Medicus Oxonienſis Grammaticæ & Anatomiæ rudimenta vel modicè calluiſſet, neq; tot ſolæciſmos commiſiſſet, neq; tam fædè in Anatomicis fuiſſet hallucinatus. Quid enim magis eſt obvium, quam chylum per venas meſaraicas ad hepar ferri, ibi ejus impuritates ſecerni, bilioſas per porum choledochum in veſiculam fellis, melancholicas per ramum portæ ſplenicum in lienem deponi?

Author Examinis notaverat *Harvæum* Exercit. 51. p. 202. Duo dixiſſe. 1° Sanguinem nutrimentum partibus aſſimilare & apponere. 2° Sanguinem eſſe partium tum materiem, tum cauſam efficientem. Primam aſſertionem duabus rationibus oppugnavit *Meara.* 1° Quia cum ſanguis ex *Harvæo* ſit partium alimentum, & ex eodem *Harvæo* idem ſanguis alimentum partibus aſſimilet & apponat, ſequeretur ſanguinem ſeipſum partibus apponere & aſſi-

milare: quod fieri non poteſt, quia ita ſui ipſius interitum appeteret: quod eſt contra rationem agentium naturalium. 2o Quia ſi ſanguis haberet rationem agentis in nutritione, partes potius aſſimilarentur ſanguini quam ſanguis partibus, cum omne agens naturale ſibi paſſum aſſimilare nitatur, non è contra.

Pag. 29, 30. Priori rationi reſpondet Vindicator dicendo, *Sanguinis inter circulandum particulas quaſdam accendi & coqui in humorem glutinoſum, qui ſit partium ſolidarum nutrimentum, quod apponatur ſicut fluvius inter ſaxa decurrens lanuginem limoſam illis affigit,* & poſtea *dicit ſanguinem particulas nutritias partibus ſolidis affigere, eaſq; ibidem aſſimilandas relinquere.*

Sed *Terræ-filius* difficultatem omnino non attingit, quomodo ſc. fieri poſſit ut agens naturale ſui ipſius interitum appetat vel cauſet. Immo ſtatum quæſtionis vel non intelligit, quæ ejus eſt inſcitia, vel invertit

invertit, quæ impoſtura. Quæſtio enim non eſt de paſſiva partium nutritione, quam ex ſanguine fieri præter *Gliſſonium* nemo eſt qui neget, & Author Examinis expreſſis verbis aſſeruit, ubi dixit, concedimus ſanguinem corpus nutrire, non activé & efficienter, ſed paſſivé & materialiter: ſed de activa quam *Harvæus* intellexit quando dixit, ſanguinem nutrimentum partibus aſſimilare & apponere, earumq; cauſam efficientem eſſe. Cujus activæ nutritionis non meminit Vindicator, ſed paſſivam inſinuat ubi dicit ſanguinem particulas nutritias partibus affigere, eaſq; ibidem aſſimilandas relinquere: aſſimilari autem non eſt agere ſed pati: nec paritas fluvii limum ad ſaxa deferentis (quod impropriè & ineptè per affixionem exprimit *Terræ-filius*) nutritionem hanc activam *Harvæi* probabiliorem ullatenus reddit, ſed contrarium potius oſtendit, cum limus à lapidibus, non ab aqua, multo

multo minus à ſe ipſo in ejuſmodi lanuginem convertatur: ſed & paritas omnino nulla eſt, cum ſi quid per eam rectè colligi vellet *Terræ-filius* deberet ſupponere limum in Saxorum ſubſtantiam, non in lanuginem converti, ut ſupponit ſanguinem ab ipſo ſanguine in partium ſubſtantiam converti.

Secundam Examinatoris rationem mutilatam proponit Vindi-
Vin p. 30. cator, ubi dicit. *Sed reponit* Meara *quod partes potius aſſimilantur* (aſſimilarentur rectius dixiſſet, nec ſenſum ſubdolè invertiſſet) *ſanguini quam ſanguis portibus.* Sed falſum eſt *Mearam* ita repoſuiſſe. Dixit autem partes potius aſſimilandas ſanguini quam ſanguinem partibus ſi ſanguis in nutritione haberet rationem agentis, quum quodlibet agens naturale ſibi paſſum aſſimilare ſatagat, quæ verba impoſtorie omiſit *Terræ-filius* ne conſequentiæ manifeſta neceſſitas ſolutionem ejus impertinentem

&

& ridiculam oſtenderet, quâ dicit *ſanguinem quamdiu quoad craſin & motum recte habet, particulas nutritias partibus ſolidis affigere, eaſq; ibidem aſſimilandas relinquere, eundem vero debito acriorem factum et citatiorem, non raro partium ſolidarum ſubſtantiam abſumere.* Quid enim obſecro hoc ad agentis & patientis actiones aſſimilativas? *Ibid.* & p. 31.

Secundam *Harvæi* aſſertionem dicentis ſanguinem corporis eſſe tum materiam tum cauſam efficientem repræhenderat Author Examinis ut abſurdam & in Philoſophia inauditam, cum inde ſequeretur idem ſeipſum efficere, de qua difficultate altum eſt apud Vindicatorem ſilentium. Campum ſc. deſerit & fugâ ſe proripit, quum nihil quo ſe defendat occurat. In fugâ tamen aſſuetam non ponit impudentiam ſed exclamat, *Vide quam facile ſubtiles tuæ argutiæ tanquam Aranearum telæ diffluntur.*

Ad

n. id. *Ad instantiam tuam quod partis definitio sanguini haud convenit cum non sit corpus toti cohærens: Quid si dicamus sanguinem toti cohærere? nam sanguis per totum animatum corpus diffusus est, ac in eo inseparabilitter manet, in quantum sc. à toto aut quolibet membro absq; subjecti interitu penitus divelli nequit: an nihil esse partem concedes nisi quod toti immobiliter accrescit? an non fluvius perpetim decurrens æquè ac stabile solum regionis cujuspiam pars est? Interrogo an Anima Bruti non sit quædam pars ejus? illud tamen haud toti velut tabulato compingitur. Revera sanguis cum sit Animæ vehiculum simili ritu ac ipsa Anima corporis pars habeatur.*

Adeste Academici Oxonienses,& si risum cohibere potestis,seriò perpendite quam subtiliter ingeniosus ille novæ Medicinæ propugnator *magnorum famæ nominum* primipilum *Harvæam* tueatur & vindicet.

cet. *Harvæum* repræhenderat Author Examinis quod poſtquam duas exercitationes prolixas contexuiſſet ut probaret *ſanguinem* eſſe partem corporis *principalem* & *primogenitam*, tandem dubitaverit an partis definitio proprié conveniret ſanguini: ipſe autem Examinator ex eo probat partis definitionem proprié non competere ſanguini, quia toti non cohæret, pars autem à Medicis definiatur corpus toti cohærens. A primo Errore Vindicator *Harvæum* nullatenus excuſare aggreditur. Sed multis rationibus elegantiſſimis contendit ſanguinem toti cohærere, ac propterea partem corporis eſſe.

Prima Ratio, *Quia per totum, corpus animatum diffuſus eſt.* Sed pari Jure (ut exemplis vindicatori familiaribus utar) vinum dici poteſt dolio cohærere, & ejus pars eſſe quia per totum dolium diffuſum eſt.

Secunda Ratio, *Quia ſanguis in corpore*

corpore inſeparabiliter manet. At profecto ſanguis non minus eſt ſeparabilis à corpore quam vinum à dolio, aut captivus à carcere. Nam ſicut dolio pertuſo vinum effluit, aut carcere patefacto captivus evadit, ita venâ vel arteriâ apertâ vel inciſâ ſanguis elabitur.

Tertia Ratio, quia abſq; ſubjecti interitu ſanguis à toto vel parte penitus divelli nequit. Hoc autem falſum eſſe quotidie experimur, quum ſanguis venâ ſectâ eductus à corpore penitus divellatur innoxiè: ſi dicat totum ſanguinem citra ſubjecti interitum penitus divelli non poſſe, reſpondeo idem contingere in alimenti ſubtractione, nec tamen propterea alimenta dici corpori cohærere.

Quarta Ratio, *Exemplo fluvii perpetim decurrentis qui nihilominus regionis cujuſpiam pars ſit* probat *ſanguinis fluxum perpetuum non impedire quo minus ſit pars*

pars corporis. Sedquæstio est de cohæsione: nullus autem dixerit fluvium regioni cohærere: Præterea quæstio est de parte proprie dicta compositi per se: non de parte largo modo sumptâ, aut de aggregato per accidens, cujusmodi est regio: nam sanguinem partem esse impropriè dictam communiter agnoscunt Medici qui partes dividunt in continentes contentas & impetum facientes. Quum autem Vindicator τὸ propriè ubiq; omittat, licet tum *Harvæus* tum Examinator id semper addiderint, impostura est Medico Oxoniensi familiaris.

Quinta Ratio, *Anima Bruti est pars Bruti licet illi tanquam tabulato non compingatur:* Sed advertere debuit quæstionem esse de cohæsione. Unde si quid inferre velit, debet intelligere Animam Bruti cohærere Bruto. Anima autem Bruti est forma Bruti: formas autem materiæ inhærere non cohærere dicunt Peri-

patetici:

patetici: novi forte Philoſophi aliter ſentiunt.

Sexta Ratio, *Sanguinem ait eſſe vehiculum Animæ*: ſubjectum credo intelligit: unde, ut ad rem loquatur, debet inferre ſanguinem cohærere Animæ: Sed queſtio eſt an ſanguis cohæreat corpori, non Animæ: vel ſi vehiculum propriè intelligat, ſic argumentor à pari. Equus eſt vehiculum hominis: ergo cohæret homini, & pars eſt hominis.

Ultimo concludit, *Sanguinem: non minus eſſe partem corporis quam Anima ſit pars corporis.* At nos hactenus credidimus Animam eſſe partem, non corporis, ſed compoſiti ex Animâ & corpore conſiſtentis, ſicuti forma non eſt pars materiæ ſed compoſiti. Præterea quæſtio non eſt hic de partibus phyſicis & eſſentialiter conſtitutivis, ſed de integrantibus, quas confundere videtur licere ex quo Philoſophia experimentalis inclaruit.

Frivolum

Frivolum est hoc quod dicis sanguinem ad quamlibet corporis partem injuriâ aliquâ graviore lacessitam accurrere, non propriâ vi sed facultatis corpus regentis Imperio.

Hîc erudite Lector adverte synceritatem Medici Oxonienſis. *Harvæus* Exerc. 51. p. 195. affirmaverat, *Ex motu sanguinis in celeritate, tarditate, vehementia, &c. eum & irritantis injuriam, & fo-ventis commodum sentire, prondeq; per se vivere.* Examinis Author id malé colligi dixerat, quia ejuſmodi motus in rebus omnium conſenſu inanimis deprehenditur, & inſtantiam fecerat in Plumbo per fuſionem candente à frigida fugiente, in ferro magnetem, heliotropio ſolem ſequente, quæ nemo ſentire aut moveri dixerit motu Animali de quo hic controvertitur, quamvis motu naturali vel violento moveri poſſint, quos motus quia *Harvæus* viſus erat confundere, Examinatoris cenſurâ perculſus erat. Hæc omnia vim il-

lationis exhibentia ſupprimit Vindicator, & exclamat, *Frivolum eſt quod aſſeris ſanguinem non propria vi ſed facultatis corpus regentis imperio moveri.*

Ibid. *Nam quænam eſt iſta facultas corpus regens niſi Anima, aut ubi nam iſta eminentius hoſpitatur quam in ſanguine ac in ſpirituum Animalium è ſanguine procreatorum ſyſtaſi prout ſupra oſtendimus?*

Quid ſi concedamus facultatem corpus regentem eſſe Animam? quid ſi Animan in ſanguine eminentiùs hoſpitari quam alibi: ideòne ſanguinem animatum concludemns quia ad animæ imperium movetur? quia in eo anima eminentiùs hoſpitatur quam alibi? inſi per hoſpitari intelligas inhærere. At nos ſupra oſtendimus Animam in partibus ſolidis domicilium ſuum habere, non in ſanguine, quia in illis non in hoc animæ actiones & operationes elucent, in pede V. G. ambulatio in manu apprehenſio, in oculo viſu

viſus, in linqua loquela &c. ſed tu ſupra oſtendiſſe te ais Animam hoſpitari in ſpirituum Animalium è ſanguine procreatorum ſyſtaſi. Nullam tamen nos ejuſmodi oſtenſionem tuam vidimus, niſi dixiſſe ſit oſtendiſſe. Dixit quidem *Williſius* Anat. Cerebri cap. xio. Animæ ſenſitivæ hypoſtaſin ſive eſſentiam, quæ ſolummodo ſit ſpirituum ſyſtaſis quædam ſive umbratilis ſubſiſtentia, conſiſtere in ſpirituum animalium diataxi, quam aſſertionem nos in ſuperioribus agitavimus. Hîc tu Animam in ejuſmodi ſyſtaſi ſolummodo hoſpitari aſſeris. Sed perinde eſt Philoſophis experimentalibus ſyſtaſin, diataxin, hypoſtaſin, umbratilem ſubſiſtentiam an hoſpitium dicant, adeóq; apud illos perinde erit hominem in loco aliquo hoſpitari, ac ejuſmodi locum hominis eſſe eſſentiam.

At tu potius quam cum Harvæo *ſanguinem quicquam perſentiſcere concedes ad Antiperiſtaſin, antipathiam,* *Vin. ibid.*

thiam, sympathiam, aliaq; ignorantiæ subterfugia recipere te malis & necesse habes.

Explicet Vindicator & probet quâ vi magnes ferrum, heliotropium sol moveat: mortaleq; in ignorantiæ puteo cespitantes eruat, & nos antipathiam, sympathiam, antiperistasin nihil esse nisi ignorantiæ subterfugia concedemus. Sed rationes adferat *Willisianis*, illisq; à Medico Oxoniensi hactenus productis rationabilibres.

Dicis sanguinem ab aliqua corporis parte in generatione pendere, partemq; unde ita dependet, illo esse priorem. Nonne tu hoc supponere mavis quam probare?

Expectes citius τὴν κάρκινον ὀρθὰ βαδίζειν, quam Vindicatorem hunc aliquid synceri aut candidi proferre velle. Dixerat Examinator *Sanguinem cum à se non possit generari semper autem generetur* ab aliqua corporis parte in generatione pendere. Vindicator verba illa (cum à se non possit generari,

nerari, ſemper autem generetur) in quibus tota vis illationis conſiſtit, fraudulenter omiſit: tum adjunxit, nonne tu ſupponere hoc mavis quam probare? Sed dic pepo, nonne ſatis probatur ſanguis ab alio dependere in generatione cum non poſſit ſeipſum generare, ſemper autem generetur?

Sed cur partem illam non nominaſti? Certe hoc non auſus es ne facile refuteris.

Vindicatoris fraudem vidimus: ejus jam ignorantiam miremur.

Quæſtio inter *Harvæum* & examinatorem erat, non à qua corporis parte, ſed an ab aliqua ſanguis in generatione pendeat. *Quam* pueriliter igitur quærit Vindicator cur partem illam non nominavit Examinator?

Quippe ab ovi inſpectione conſtat ſanguinem ante reliquum corpus exiſtere.

Vindicator vel nunquam inſpixit ovum in incubatu ſecundo

inſpectionis die, vel perverſè eſt mendax qui aſſerit ſanguinem ante reliquum corpus exiſtere, cujus contrarium quotidianâ experientiâ conſtare poteſt: quod nos etiam ex *Harvæo* ſæpe notavimus: & Examinator hoc ipſo in loco.

Sed tu etiam ova in incubatu te ſedulo inſpexiſſe venditas.

Quicquid ſit de Examinatore, viderit ova in incubatu necne, id certe illum venditare vindicatori conſtare non potuit.

Idcirco eruditè aſſeris in pulli fabrica ſanguinem & reliquas partes in ovo ex albumine & vitello formari, cum aliorum præter te omnium obſervatione conſtat pullus ſolummodo formari ex albumine.

Eruditiſſime *Terræfili* dic obſecro qui ſunt illi omnes qui obſervarunt pullum ſolummodo formari ex albumine? Fabricius ab Aquapendente & *Harvæus* partes pulli ſpermaticas ex albumine, ſanguineas ex vitello fieri exiſti-

mant

mant: Nonne tu nomine pulli ſolas ſpermaticas compræhendis? nec advertis pullum partes tum ſeminales tum ſanguineas, immo & ſanguinem ipſum comprehendere: quid igitur abſurdi eſt dicere in pulli fabrica ſanguinem & reliquas partes ex albumine & vitello formari?

Quare vitellus poſt formationem ejus fere integer manens, atq; intra abdomen receptus pullo tum in ovo adhuc exiſtenti tum poſtea excluſo enutriendo inſervit. Ita inanes tui conceptus te ad quidlibet vel contra ſenſuum indicia affirmandum paſſim cogunt. Vin. idem

Si fere integer, non omnino integer: ſed quid devenit id quod abſumptum eſt? Vis dicam? primo in ſanguinem poſtea in parenchymata abiit quemadmodum iiſdem atq; etiam ſeminalibus partibus poſt formationem ante excluſionem euntriendis inſervit, & quid hîc eſt contra ſenſuum indicia? ita inſcitia tua te ad contumelias

in teipsum redituras passim cogit.

Certè tam egregius opinator dignus est qui veterem Medicinam collapsam restituat.

Vetus Medicina nondum collapsa inanes magnorum Famæ nominum impetus spernit, quæ quam male tu defenderis, docti judicent.

Hæc paragraphe solummodo lituram meretur, quia nihil præter vesanum convitium ac impudens mendacium continet. Harvæum *ridiculè egisse dicit, eumque asseruisse stupendam hominis fabricam non nisi fortuito conditam, cum* Harvei *verba haud tale quidquam sed potius contrarium sonant.*

Vin p. 33.

Examinator Harvæi *verba Exer.* 51. *p.* 190. *adduxerat ubi habet. An vero totum corpus ab illo* (sanguine) *pendeat, cui illud post genitum adjunctum, & quasi adnascendo appensum cernimus, non est hujus loci determinare.* Quid magis ridiculum dici potest quam totum corpus sanguini quasi adnascendo appendi? quid est adnascendo

appendi

appendi, quam præter intentionem id eſt fortuito contingere? quid magis indignum Philoſopho quam quod præcipué tractandum ſuſcipit in alium locum rejicere & lectores myſteriorum & arcanorum expectatione ſuſpenſos ludere? ubi hic veſanum convitium & impudens mendacium? quæ verba *Harvæi* contrarium verbis ab examinatore illi attributis ſenſum exhibent aut ſonant? Nonne in *Terræ-filium* meliore jure recidunt iſta convitia, qui quod nuſquam in *Harvæo* oſtendi poteſt tam impudenter fingit? qui examinatoris rationem contra imaginariam corporis ad ſanguinem adnaſcentiam & appenſionem ſubdolè omiſit? Quomodo ſc. corpus ſanguini adnaſcendo appendatur, qui in ipſo corpore generatur, qui omnes ejus poros, canales & ſpiracula permeat, illi intimè & ſecundum omnes fere dimenſiones immiſcetur, & in ejus ſubſtantiam convertitur. Hæc ſubticet Medicus Oxonienſis,

cui ſolenne eſt omnia reticere quibus refellendis imparem ſe exiſtimat.

Vin. p. 34 *Contrà* Harvæum *è veteri Logicæ tuæ penu egregiè argumentaris. Si ſanguis receptaculis ſuis prior eſt, ergo vel tempore, naturâ, vel dignitate: non tempore, quia continens & contentum ſunt correlata, relata autem ſunt ſimul tempore, Putas tu quæ tua eſt verecundia etiam hoc argumentum ſolutione dignum: ego per me putes licet* Meara *dummodo à nobis non expectetur.*

Meara (quæ ejus eſt verecundia) nllius à Te, cujus in verecundiam non minus quam inſcitiam probe habet conſpectam, argumenti ſolutionem expectat, hujus præſertim quo planè oſtenditur *Harvæum* pridicule hallucinatum fuiſſe, qui ex eo inferre voluit ſanguinem debere receptaculis ſuis tempore priorem eſſe, quia ſit contentum, receptacula continentia. Cæterum aliud Examinatoris argumentum hic more ſuo omiſit

Vindicator,

Vindicator, quo ostendit, sanguinem extra relativi notionem consideratum tempore posteriorem esse receptaculis suis, quia ex *Harvæi* confessione Exercit. 15. Cor arteriæ & venæ quæ sanguinis sunt receptacula ante sanguinem genitum conspiciuntur.

Pari ratione concludere possit pullum ovi vitello priorem esse, quia hic nutrit, iste nutritur.

Quæstio hic est de prioritate naturæ, ut in præcedente de prioritate temporis, quod majore inscitiâ an astutiâ dissimulet Vindicator difficile est judicare. Quis autem dubitet pullum nutriendum naturâ priorem esse vitello nutriente, quum naturâ prius sit pullum esse quam nutriri? tertiam autem prioritatis acceptionem quæ est dignitatis quam partibus præ sanguine deberi probavit Examinator ex eo quod finis sanguinis sit nutritio partium, finis autem sit mediis præstantior, cur Vindicator nullatenus attingat, facile est divinare. *Ve-*

Vin. ibid. *Verum te intelligere oportuit, Meara, ſanguinem ab initio materiam pro corporis fabrica dein partes pro ejuſdem nutritione ſuppeditare.*

Mearam oportet maximas Medico Oxonienſi gratias referre quod illum docere dignetur. Sed quid *Mearam* docet? illud ſane quod non intelligit ipſe, nempe, *Sanguinem ab initio materiam pro corporis fabrica, partes pro ejus nutritione ſuppeditare.* Sed nuper aſſeruit etiam ex omnium conſenſu corpus pulli non ex ſanguine ſeu illi analogo vitello ſed ex albumine fabricari. Sed quid hoc eſt quod ait ſanguinem partes pro corporis nutritione ſuppeditare? quid aliud eſt corpus quam partes unitæ? ſi corpus ſuis partibus nutritur quid nutrit, partes? ſed fruſtra reſponſum *Meara* expectet à Medico Oxonienſi eorum quæ non intelligit. Supereſt igitur ut conſilium ab illo datum grato animo reddat, nimirum *ut curet imposterum*

posterum ea melius intelligere de quibus scripturus est, aut ut taceat quæ non capit, quum quæ hactenus protulit debuerint pueris in trivio venditari, ut pote Philosopho indigna & scriptore & Lectore. Vin. verb. pa. 35.

Harvæus Exercitat. 50. p. 192. sanguinem vivere & motu sibi intrinseco moveri inde colligi dixerat, quia in animale moribundo, cordis motu & pulsatione cessante, undulationem quandam in sanguine animadverterat. Examinator vitam sanguinis ex ejusmodi undulatione inferri non posse contendit, quia in pelvibus aquâ plenis in terræ superficie dispositis ubi cuniculi suspicio est, vel ægrorum syncope laborantium pectori applicatis, ubi mors in metu est, in aqua quædam undulatio conspicitur, aquâ motâ non virtute aliquâ sibi intrinsecâ, sed ad vasis motum licet in conspicuum, quod etiam in moriente corde contingere à pari concluserat, motu ejus non omnino, sed ad sensum cessante

ſante: Paritatis hujus nullâ mentione factâ Vindicator Examinatorem ita aggreditur

Vin p. 36. *Quam inepte tu infers nihil amplius eſſe quam ſi aqua pelvi contenta ad motum vaſis continentis moveatur?*

Immo quam ineptus es tu qui argumenti vim non intelligis, vel fraudulentus, qui diſſimulas? quam perfidé *Harvæi* cauſam deſeris non oſtneſâ ſi fieri poteſt diſparitatis ratione?

Vin. ibid. *In hoc loco cum* Harvæo *agis non malevolé tantum ſed perfidé, ubiq; vanus & futilis, hic etiam mendax & fraudulentus.*

Convitiatoriæ facultatis adeptus hîc caninæ eloquentiæ divitias *Terræ-filio* non indecoras ad pompam explicat. Sed videamus cur ita excandeſcat.

Ibid. *Tu autem* Harvæum *aſſerentem introducis ſanguinem corpus aliud divinius participare, ac ſupra elementorum vires agere, & eſſe elemento ſtellarum analogum: qnæ*

verba

verba ab Harvæo *nuſquam dicta ſunt.*

Quâ fronte audes tu proferre hæc verba ab *Harvæo* nuſquam dicta eſſe? Lege paginas 318, 319, 320. ubi *Harvæus* ſequentia verba non ex *Ariſtotele* citata, ſed mentem ſuam explicantia habet. *Idem ego quoq; de calido Innato affirmaverim, non eſſe ſc. Ignem, nec ab igne originem ducere, ſed corpus aliud, idq; divinius participare:* ubi per calidum Innatum illum intelligere ſanguinem clarum eſt, quippe qui nullum calidum Innatum à ſanguine diverſum agnoſcat. Idem ibidem, *Ita pariter in ſanguine ineſt ſpiritus ſive vis aliqua ſupra vires elementorum* & paulo poſt. *Natura immo Anima in eo ſpiritu & ſanguine reſpondens elemento ſtellarum* & pagina proxima, *Sanguis quoq; ſupra vires elementorum agit, &c.* hæc cum legeris, exue meretricem & erubeſce.

Itaq;

Vin. p. 37. *Itaq; pro tua modestia qui nimio plus fronte parum cerebro vales, illustrissimi viri non solum verba torquere ausus es, sed & adulterare sensum & prorsus invertere.*

Ubi & quando illustrissimi titulum consecutus est *Harvæus?* sed forte ἀποθείωσιν illi mediatur *Terræ-filius.* Cæterum ubi sunt illa *Harvæi* verba ab examinatore torta? ubi sensus adulteratus & inversus? Tam gravis calumniæ manifesta produci deberent indicia. Sed frontem perfricuit Medicus Oxoniensis.

Ibid. *Atq; hoc eo tantum fine ut cum assertione hac* Harvæo *imputata, à te ficta contrarias ejusdem Authoris sententias committendo protinus seu datâ seu arrepta occasione exclamares, &c.*

Assertionem hanc *Harvæi* genuinam esse, non illi imputatam nec ab Examinatore fictam evincunt clarissima ejus verba supra citata. Si contrarium alibi expressit,

ſit, quod in *Harveo* novum non eſt, contrarias ejus ſententias conciliari aut excuſari. Examinatoris non interfuit. Non autem propter hanc aſſertionem ab Examinatore repræhenditur *Harvæus*, ſed quia eam medio non concludente probare aggreſſus eſt. Scopus enim Examinatoris erat, oſtendere quam parum ſolidè in pleriſq; quæſtionibus diſcurrat *Harvæus*. Nam quum obſervaſſet ejus authoritatem apud medicaſtros quoſdam ſolidæ eruditionis expertes, *Williſium* puta aut huncce *Terræ-filium* tantum valuiſſe, ut effata ejus quantumvis erronea tanquam Oracula reciperent, exiſtimavit Tyronum in Medicina intereſſe *Harvæani* ratiocinii infirmitatem palã demonſtrari, quod luculenter præſtitit tũ pluries alibi, tum præſertim in loco à Vindicatore jam citato: quem quia Vindicator mutilatum propoſuit, viſum eſt rationes *Harvæi* qualeſquales ſunt, cum examinatoris ſolutionibus hîc tranſcribere,

ſcribere, ut appareat non tam dictam *Harvæi* aſſertionem quam ratiocinii defectum ab Examinatore culpari.

Exam. p. 49. Sed operæpretium eſt audire quid per (ſupra elementorum vires agere) intelligat. *Qui*, inquit *Harvæus*, p. 321. *rem nullam ex elementis compoſitam ſupra illorum vires agere poſſe autumant, niſi corpus aliud, idq; divinius participet, næ illi rationes ſuas male ſubduxiſſe mihi videntur: quippe vix ullum corpus elementare invenias quod in agendo vires proprias non ſuperet. Ne longè quæram quod ubiq; obvium eſt. Aer & aqua dum navigia ad extremos Indos, ac circumcirca orbem Terrarum, ſæpeq; ſimul in contrarias partes deferunt, dum molunt, pinſunt, cribrant, puteos exhauriunt, ligna ſecant, ignem ſuſcitant, quædam vehunt, alia obruunt &c. an non corpus aliud præter elementa, idq; divinius participare videntur?* Hactenus *Harvæus* quem ita redarguit Examinator.

Hic

Hic candide Lector magni illius Medici & Philosophi quidlibet ex quolibet deducentis nervosum ratiocinium attentè considera & mirare. Aerem dicit agere supra suas vires quia navigia circa orbem terrarum & in contrarias simul partes defert: sed ut omittam non aerem sed ventum id præstare, quid aliud præstat navigiis ventus quam impulsum, quem supra ejus vires esse quis præter Harvæum *dixerit? quod autem in contrarias partes id agat, hoc diversæ velorum & reliqui apparatus nautici applicationi tribuendum est. Aqua omnia se graviora obruit, nisi cava sint vel porosa, ideoq; Aerem contineant. Se vero leviora vehit, multaq; alia efficit secundum machinarum diversimodè applicatarum varietatem, quæ tamen uni ejus gravitati & impetuoso cursui propter humiditatem proprios terminos non agnoscentem accepta referri debent,* &c.

Hæc omnia ſiluit Vindicator cui ſolenne eſt difficultates omnes vel ſilenti funere efferre vel maledicentiæ ſtrepitu obruere ne lectori innoteſcant: ſed aliorum judicium eſto, uter malevolè & perfidè agat, Examinator an Vindicator: uter dici debeat vanus futilis mendax & fraudulentus.

Vin. p. 37. *Quem* (Examinatorem) *multo ſatius eſt ad categorias & prædicabilia remittere quam ut ſemel attigerit ſanos Authores quos tam male intelligit, tam ſceleratè & inſidioſè tractat.*

Examinatori à categoriis & prædicabilibus noto itinere expeditus erit regreſſus. Vindicator ſi eo remittatur, in ponte Aſinorum hærebit. Cæterum hujus farinæ dicteria, non ingenii minus quam ingenuitatis expertia, de ſuggeſto detonabat, quum pro riſu quem captabat, ab auditoribus contemptum & indignationem retulit.

Vin. p. 38. *Harvæi aſſertio quod ſanguis ſit partim ſimilaris, partim diſſimilari*

laris conſtitutionis inferius per quam luculento experimento illuſtrabitur, & à tua calumnia vindicabitur.

Vindicatoris penſum hîc erat *Harvæum* à manifeſtâ abſurditate vindicare: ſed quum in nodum in explicabilem ſe incidiſſe comperiſſet, ſtatuit illum è conſpectu abducere, alibi nimirum diſcutiendum: ſed nos illum ita evadere non patiemur. Dixerat igitur *Harvæus* ſanguinem partim eſſe ſimilaris conſtitutionis, partim diſſimilaris: ſimilaris ut ſenſus, diſſimilaris ut motus ſit Author: item ſimilaris dum in corpore naturaliter ſe habet, diſſimilaris cum extravaſatur: extravaſatum autem corrumpi & in diverſas partes abire: unde concluſerat Author Examinis ſanguinem juxta *Harvæum* tunc ſolum motus Authorem eſſe cum corrumpitur: concluſerat pariter juxta *Harvæum* ſanguinem intra venas eſſe ſenſus, extra venas motus Authorem: & præ-

venerat ſolutionem quæ poſſet adferri, ad motum, ſc. diſſimilaritatem actualem non neceſſariò requiri ſed potentialem, ſeu ad ſenſum dictam, ſufficere: quod refutavi dicendo, ad motum animalem, qui in actione conſiſtit, requiri organum partium actu diverſarum, cum quod ſeipſum movet debeat eſſe diviſibile in partem per ſe moventem & partem per ſe motam, licet ad ſenſum qui in paſſione conſiſtit, ſufficere poſſit conſtitutio ſimilaris. Tandem probaverat, ſanguinem nullatenus organi rationem habere poſſe, cum de ratione organi ſit ut habeat determinatam figuram & conformationem, ſanguis autem ſit informis, parteſq; quibus potentiâ conſtare ſupponitur, confuſæ ſint & indiſtinctæ.

Difficultatibus hiſce alto ſilentio ſepultis Vindicator vult videri reſpondiſſe provocando ad experimentum quod in alium locum differt ut lectori fucum faciat: ſed,

nos

nos illum κατ' ἀνθρ. ſequemur, & oſtendemus experimentum illius, tum ad quæſtionem non attinere, tum multa alia *Williſii* & vindicatoris, placita evertere.

Alterum item graviſſimum *Harvæi* Errorem ab Examinatore notatum & refutatum Vindicator ſaltu tranſgreditur quaſi non vidiſſet: dixerat ſiquidem *Harvæus* ſanguinem reliquas corporis partes ordine fabricare, & repoſuerat *Meara* partium ſolidarum rudimenta, *Harvæanam* ſc. veſiculam pulſantem cum macula alba & circulis albis tanquam circino ductis, ante ſanguinem apparere, quæ ſanguis nondum exiſtens fabricare non potuerit. Hic *Terræfilius* omnino mutus eſt.

Sed pergit Meara, *quo jure, ait,* Harvæus *ſanguinem eſſe animam, eodem jam ſed minore impietate calorem nativum appellat. An non tu majoris impietatis reus es qui negas ſanguinem eſſe animam? ſiquidem hoc dicto expreſſis ſacræ* *Vin. ibid.*

ſcripturæ prout ſupra allegavimus) verbis contradicis.

Nos etiam ſupra ſacræ ſcripturæ verba commodè & ſine impietatis reatu explicuimus, & cur Vindicator ad Textum Hebraicum provocaverit, indicavimus.

Vin. p 39. *Sed probo tibi tuo more, id eſt ſyllogiſtice quod tantum ſanguis & nihil præterea eſt calidum Innatum. Quod eſt pars primo nata, & quæ ſola calorem in ſe continet, eumq; partibus omnibus deſpenſat eſt calidum Innatum.*

Hanc propoſitionem ex ipſis terminis qui ſint convertibiles ait patere, quod quamvis falſum eſſe facile oſtendi poſſit, impræſentiarum tamen concedemus, ut minoris, quam nobis ſubintelligendam reliquit, probationem conſideremus.

Vin. ib. *Sanguinem primo natum eſſe obſervationes Anatomicæ ex ovi incubati inſpectione evincunt.*

Contrarium

Contrarium planè evincitur *Harvæi* confessione & observatione quam sæpe exhibuimus.

Tu autem vesiculam pulsantem, sanguine priorem esse contendis. Sed dicas ob quem finem vesicula ista fabricatur & pulsat? nonne ut sanguinem contineat ac propellat? ergo cum receptaculum omnino sangninis gratiâ producitur, certé pars quæ in formatione fætus primo intenditur ipse est sanguis.

Suppone finem vesiculæ pulsantis esse sanguinem propellere, indène sequitur sanguinem esse dictâ vesiculâ tempore priorem? nonne ut plurimum experimur, id quod est primum in intentione esse ultimum in executione? sed, inquis, pars quæ in formatione fætus primo intenditur, ipse est sanguis; Suppone esse: Jam igitur prioritatem temporis, de qua quæstio erat, deseris, & ad *Mearanæ* Logicæ penum, quem nuper repudiaveras de naturæ ac dignitatis prioritate recurris. Sed falsum

est

est sanguinem in formatione fœtus esse partem primo intentam: nec enim ulla pars sui causâ, nec præ aliis, sed integer fœtus intenditur, & postea sensim ad perfectionem ducitur. Absurdum autem est illud quod ais, sanguinem corde nobilius esse productum, cum sanguinis jacturam quotidie sine jactura experiamur, è contra cordi minimâ illatâ injuriâ graviter periclitemur.

Vin. p. 40. *Quod autem sanguis sit tantum per se calidus, & calorem partibus aliis quibuscunq; dispensat vel hinc patet, quoniam à sanguine nimis detracto aut refrigerato tanquam ab igne penitus extincto caloris præsentia ac diffusio ubique cessat.*

Sanguinem cordi calorem suum debere *Meara* in examine & nos in præcedentibus sæpius ostendimus: quod & ipsi circulationis Patroni confirmant qui dicunt sanguinem in partibus extremis refrigeratum ad cor identidem remeare

meare novo caloris ſupplemento imbuendum. Si autem per ſe calidus eſſet ſemper calidus eſſet, etiam in partibus extremis, propterea q; ſuperflua eſſet circulatio. Sanguinem autem nimis detractum ſequitur caloris in toto ceſſatio propter exhauſtum ſpirituum vitalium ſimul cum exeunte ſanguine evolantium, quod intelligendum eſt de ſanguine confertim è vaſis majoribus vel cordi vicinis emiſſo: immenſa enim quantitas ex hæmorrhodibus, ex utero, ex venis aliis minoribus paulatim effluens ſine aliqua ejuſmodi refrigeratione aliquando contingit, quia ſpirituum non fit inſignis jactura.

Præterea ſe ſanguis formaliter & per ſe calidus eſſet, ut Vindicator ſæpe repetit, nunquam frigidus eſſet, cum quod per ſe tale eſt, ſemper tale debeat eſſe: adeoq; inſtantia quam adfert de ſanguine quorandam piſcium actu frigido

frigido contra ipſum facit: Sed ſanguinem caloris fontem & authorem eſſe cumulatius à Vindicatore demonſtrabitur cum de ſauguinis accenſione agetur: Interim Medici Oxonienſis morem ſyllogiſticum ſive Capreoliſticum nihil præſtitiſſe ratum eſto.

CAP.

CAP. VI.

Gliſſonius *male Vindicatus, Sanguis fætum inter conformandum nutriens, non generatur in ipſo fætu. Vindicatoris deliria de uſu vaſorum umbilicalium: Ejuſdem prodigioſa ignorantia; Sanguinem non nutriri ſed generari: Chylum non ferri per lacteas Thoracicas. Ludovici Billzii demonſtratio.*

IN *ſuperiori capite* Mearæ *objectiones contra hæmatoſeos munus ſanguini attributum expendimus, ubi planè conſtat argumenta (ſitamen ita dici merentur) quæ contra* Harvæum *profert, tanquam miſſilia in ſcopulum projecta cum dedecore in ipſum reſilire, ejuſq; ignorantiam non minus qnam malitiam prodere.* Vin. p. 41.

Quicunq; ſuperioris capitis animadverſiones cum illis *Examinatoris*

toris in *Harvæum*, cumq; *Vindicatione* conferre voluerit, planè intelligat vindicatorem gravioris momenti rationes ab Examinatore allatas, vel omnino ſubticuiſſe, vel mutilatas exhibuiſſe, vel impudente mendacio detorſiſſe: exhibitis autem tam impertinenter reſpondiſſe, ut quidvis potius quam quod controverſum erat intellexiſſe videatur, proindeq; impetus ejus planè falſarios & parum ingenuos in ipſum *velut Miſſilia in ſcopulum projecta cum dedecore reſilire, ejuſque ignorantiam non minus quam malitiam prodere.*

Vin. p. 42. *Cæterum has* Mearæ *animadverſiones præterire, ipſumq; ad* Gliſſonium *ut inſignius vapulet remittere decreveram, &c.*

Gliſſonio optandum eſſet *Terræfilium* ejus patrocinium non ſuſcepiſſe, ſed in hac controverſia quemadmodum in priore de ſuccis nervoſo & nutritio, ſuam ſibi cauſam defendendam reliquiſſe, qui id felicius, magiſq; ingenuè præſtitiſſet. *Itaq;*

Itaq; primo ſtatim congreſſu argumentum profert quod non modo Gliſſonium *ſed &* Harvæum *&* Williſium *uno ictu conficit: dicit egregius vir nullum ſpiritum ſive liquorem vitalem in materia ſeminali præexiſtentem in ſanguinem abire: ſed partium fœtus ſolidarum limeamenta ex materia ſeminali fieri, &c.* Ibid.

Suppoſuerat *Williſiano* more, non probaverat *Gliſſonius* ſpiritum ſeu liquorem quendam vitalem in ſeminali materiâ præexiſtientem ipſiſſimum eſſe ſanguinem, ruborem nondum adeptum. Notavit Examinator liquorem cum ſpiritu res toto cælo diverſas confundi non debuiſſe. Interrogavit unde *Gliſſonio* conſtaret illum ſpiritum vitalem ſanguinem eſſe ante quam ruborem acquireret. Suppoſuerat non probaverat *Gliſſonius* liquorem ejuſmodi ſeipſum à reliquis partibus quibus promiſcuè commiſcetur ſegregare. Interrogavit Examinator quâ ratione

liquor

liquor quicunq; inorganicus, poſſit eſſe motus localis Author, localis inquam quatenus à naturali diſtingintur, cum quod ſeipſum movet, debeat eſſe organicum. Suppoſuerat non probaverat *Gliſſonius* in canalium ſanguiferorum conformatione priores ductus in venas, poſteriores in arterias abire: quæſivit Examinator quomodo *Gliſſonio* conſtaret priores ductus eâdem cum poſterioribus materiâ conſtantes ab eodem opifice *in* venas, poſteriones in arterias conformatos fuiſſe. Quas interrogationes argumentorum pondus habentes Vindicator tacitus prætergreditur.

Ibid. *Nutrimentum autem & vivacitatem illis ex utero materno per vaſa umbilicalia accedere per ſanguinem & ſpiritus delata.*

Duobus Argumentis hanc theſin demonſtravit *Meara*. 1. Ex vaſorum umbilicalium ſtructura quæ in fœtu non excluſo ſunt pervia, in adulto impervia: pervia in non

non excluso ut nutrimenti commeatui inserviant: in excluso impervia, hoc usu cessante. 2° Quia primus sanguis in fœtu inter formandum conspicuus, non generatur in ipso fœtu, sed aliunde suppeditatur.

De primo Argumento brevi agetur, Secundum si ostenderit Examinator, à Vindicatore *Phyllida solus habebit*: at profecto illud ostendit *oculari demonstratione* ab *Harvæo* & *Glissonio agnitâ & concessâ*, quam tamen Vindicator magno silentio prætervehitur: nempe in pulli formatione primum sanguinem, non in ejus centro, sed in limbo exteriore ut habet *Harvæus*, vel chorio membrana ut *Glissonius*, limeâ exili purpurascentem conspici, ab extra sc. ad fœtum per vasa umbilicalia, ad pullum ex vitello in sanguinem elaborato advenientem, & quid clariùs demonstrari potuit? quid sceleratiùs á *Terræ-filio Glissonii* patrocinium pollicente omitti?

quid imprudentius affirmari quam *Mearam* hoc ſupponere malle quàm probare?

Sed Vindicator hoc Argumento contra nos oſtendit, *Si inquit, vaſa umbilicalia ſanguinem maternum fœtui deferunt, aut venæ aut arteriæ id faciunt. Non venæ, quia eſt contra legem circulationis, cum venarum conſtans munus ſit ſanguinem ab arteriis foras provectum reducere: non arteriæ, quia arteriæ truncus à fœtu ortus ramos ſuos in placentam uteri diſſeminat.*

Vin. p. 44.

Nos pariter hoc argumento Vindicatoris ratiocinium inefficax oſtendemus. Quicquid vivit & creſcit, nutritur. At fœtus in utero vivit & creſcit: ergo nutritur. At nulla nutriendi ratio apparet niſi per ſanguinem maternum: ergo ſanguine materno nutritur. Sanguis autem maternus ad fœtum accedere nequit niſi per venas aut arterias, non per arterias, quia arteriæ truncus in fœtu

implantaur: ergo per venas.

At *venæ*, inquit, *conſtanti circulationis lege ſanguinem reducunt*, nullatenus ad partes adducunt. Nego illud omnium venarum conſtans eſſe munus. Nam & vena *Cava* ſanguinem in hepate genitum, nec aliunde tranſmiſſum ad cor defert, ut brevi oſtenſuri ſumus, & frequenter obſervamus per eadem vaſa eoſdem ſuccos veni & revehi, ut contingit in recurſu ſanguinis ab utero ad mammas & vice verſâ, in partibus phlegmone affectis ex intempeſtivo repercutientium uſu, in Revulſione, metaſtaſi, palindrome & ſimilibus.

Verum enimvero etiamſi Vindicatori gratis daremus venas conſtanti circulationis lege ad ſolam ſanguinis reductionem reſtringi, quid impedit ſanguinem in venis uteri contentum, quarum umbilicales ſunt productiones, vel quibuſcum multiplici ſaltem anaſtomoſi ſociantur) ulte-

rius tendere per ſubſtantiam hepatis (quam umbilicalis integra pertranſit) in cavam exonerandum? unde per utrumq; cordis ſinum in Aortam & reliquas Fœtus arterias, etiam umbilicales per placentam uteri diſperſas impulſus, per venas denuò reducatur & circuletur: quod in gratiam circulationi ſubſcribentium ſit dictum.

Hîc autem Vindicatorem interrogatum cupio cui fini ſanguis in prægnantibus ſiſtitur, qui in non prægnantibus menſtruo circuitu conſtanter excerni aſſuevit, ſi fœtui in nutrimentum non cedit.

Vin. p. 45. *Sed quis rationum uſus ubi oculi ſufficiunt? aut quid opus eſt ut Argumentis probetur quod autopſiâ demonſtratur? fœtum nempe maxima ex parte formari, & ſanguine per circulationem tradu&o actuari prius quam vaſa umbilicalia exiſtant, aut ipſe utero annectatur.*

Quem obſecro feriunt bruta hæc fulmina? Examinatorem ne, qui

qui nec hactenus asseruit, quamvis verum sit, fœtum inter conformandum nutriri, nec eundem negavit maxima ex parte formari priusquam umbilicalia vasa existant? an Vindicatorem, qui omnem fœtus inter conformandum nutriendi rationem explodit, sustinet tamen illum *sanguine per circulationem traducto actuari* priusquam vasa umbilicalia existant? quod fieri impossibile, est citra alimenti supplementum quo fugax spirituum vitalium vivacitas identidem reparetur. Discant autem *Sidleiani* auditorii Tyrones, qui ad *Experimentalis*, quam vocant, Philosophiæ *Crepitacula*, tanquam ad Bacchi Orgia, vel uni circulationi perperam intellectæ intenti, ad alia pleraq; quamvis vulgo notissima plane cæcutiunt: discant inquam, Embryonem ante absolutam conformationem nutriri *Rore sanguinolento* ex Capillarium Uteri oculis ad seminale crementum depluente, unde

tum Fœtus partes carnosæ, tum vasorum umbilicalium subtegmina sanguinea conformantur: fœtu autem formato & copiosioris nutrimenti indigente manifestos ductus, quales sunt vasa umbilicalia, ad nutrimenti commeatum necessarios esse.

Ad primum jam argumentum de vasorum Umbilicalium structura regrediamur, in quorum usu *Mearem* edocendo operæpretium erit Medicum Oxonienſem Magistraliter delirantem audire.

Vin. p. 45, 46, 47, 48. *Sanguinem*, ait, *in fœtu vegetiorem factum* (rectius dixisset fœtum per sanguinem fieri vegetiorem) *& circulari incipientem* (sed unde suppeditantur ejus dispendia inter circulandum?) *ampliore spatio ad ventilationem egere: quod quum per pulmones fieri nequeat* (sed quum in circulatione sanguis ex cava feratur in Aortam, necesse est ut transeat perpulmones aut per septum cordis) *ipse sibi Arterias in quibus expatietur, & eodem artificio venas*

venas per quas refluat, excudat. (Quod ſæpe dixit, non probavit ſemel.) pag. autem 22. ex Harvæo dixerat, non ſanguinem, *ſed Animam, ſive virtutem plaſticam corpus animatum*, & conſequenter vaſa umbilicalia *formare*. Adhuc ſc. conformiter textui Hebraico ſanguinem eſſe, Animam ſiſtinet, quamvis id alibi negaverit. *Retunctiore facta probabile eſſe* (ſed quâ ratione ſuadente?) *ſuccum quendam nutritium lacti analogum* (ſed cujus organi facultate lactificâ genitum, aut unde allatum?) *qui nondum ſanguis ſit* (ſed undè id conſtat?) *ſanguini è placentâ uteri in juveni reduci* (ſed unde ſuppeditato niſi ex uteri venis?) *admiſceri, & ab ipſo ſanguine in ſanguinem* mutari: quæſtionem exhibet logo reſponſi, eamq; quam probare debuit, ſupponit: *hunc ſuccum leges circulationis non impedire* (forte quia ſanguis nondum ſit, cum cuilibet alteri ſucco liberum commeantum

tum negandum non existimet) *quo minus venæ illam illâc prorsum* (parcite Ciceroniani manes) *deferant. Præter hunc succum* (probabilem) *certum esse* (liquid sapit Medicus Oxoniensis) *etiam alium succum intra membranas conclusum* (Urinam nempe & sudorem quibus fœtus innatat) *liguriri ab ipso fœtus ore* (quod quatuor primis mensibus, *etiam fœtu jam auctiore facto* accuratè occluditur, nec ullatenus patet) quo temporis spatio fœtus jejunet oporteat, imposterum sudore & Urinâ saturandus, nisi sanguinis accessum per vasa umbilicalia admittamus.

Hunc funiculi umbilicalis usum, aliis ut ait, satis notum, *Mearam* edocere non dedignatur benignissimus *Terræ-filius.* Verum quum fœtum sanguine per circuitum traducto actuari *Terræ-filio* certum sit, idq; per pulmones non fieri illi sit æque certum, alteram ab illo gratiam *Mearæ* exoptat, ut se. illum edoceat.

ceat per quas vias circulatio ejusmodi instituatur. Si dicat fieri per septum cordis, ab infallibili *Harveo* recedit: nulla autem alia via apparet, ut timendum sit ne reliqui circulationis patroni Medicum Oxoniensem transfugi deferant, & pulmonaria circulatione revocata chymericum hunc funiculi umbilicalis usum inter *Willisiana* somnia *Kergero* agitandum proscribant.

Meara *postquam egregium de sanguine materno in fœtum derivato commentum finxisset, illud etiam oviparis applicat & contra manifestum sensus indicium sanguinem ab ovi vitello per vasa umbilicalia in pulli rudimentum deferri autumat.* Vin. p. 48.

Quantus mendaciorum cumulus in tam paucis verbis. *Mearam* ait finxisse commentum de sanguine materno in fœtum derivato. Commentum autem fingere idem sonat, ac quidpiam falsi proferre quod nemo alius protulerit

lerit. At idem commentum finxerunt quotquot ante *Harvæum* & *Mearam* ab *Hippocratis* ævo de fœtus nutrimento scripserunt: deinde *Mearam* ait autumare sanguinem ab ovi vitello in pulli rudimentum deferri, quamvis expresse dixerit *Meara* pulli rudimentum ex albumine fieri: immo sustinuerit nihil sanguinis posse conspici nisi postquam partium solidarum rudimenta facta sunt: deinde fingit *Mearam* id fieri velle in pullo per vasa umbilicalia, quorum meminit *Meara* solummodo in fabrica fœtus vivipari, quod verba ejus in Examinis pag. 58. clarissime ostendunt quæ sic habent: ab extra sc. ad fœtum adveniens per vasa umbilicalia, ad pullum vero ex vitello in sanguinem elaborato virtute facultatis plasticæ, sicut ex albumine, si *Harvæo* credimus, pullus ipse formatur. Cæterum quid absurdi dixisset, si sanguinem dixisset per vasa umbilicalia ad pulli nutrimentum accedere, quum

Glis-

Glissonius id fieri voluerit ex chorio membrana, certumq; sit in pullo reperiri si non vasa umbilicalia certe vasa illis analoga.

Hic supponit Meara *tantum animalia nutriri vel sanguinem esse prorsus inanimem. Cujusmodi suppositum ejus omnino falsum est nam & nos supra probavimus sanguinem esse animatum, & plantæ quæ sunt inanimes nutriuntur.* Vin. p. 49

Hic iterum mentitur Medicus Oxonienſis, ſed ignoranter magis quam malitioſé quia non intelligit quid interſit inter animatum & Animal: nec quod Animal vivens ſentiens, Animatum ſimpliciter vivens ſeu vegetabile denotet: quod clarum eſt illum neſcire cum plantas dicat eſſe inanimes, quas vel pueri animâ vegetativâ prædítas non ignorant, ut prodigium ſit Philoſophicæ apud Oxonienſes cathedræ moderatorem in Logicæ elementis tam eſſe rudem & ignarum. Cæterum ſanguinem inanimem eſſe fatetur

Meara

Mearæ, nec Medicus Oxoniensis contrarium ostendit.

Non absimili imperitiâ in proximo paragrapho principium communicationis à principio constitutivo differre non advertit. Cum enim Examinis Author sanguinem, quamvis majorem molem acquirat, crescere tamen aut nutriri negasset; quia confusus sit & inorganicus, ac principii sive radicis expers quâ mediante alimentum singulis partibus inter se distinctis posset communicari: ubi manifestum est principium communicationis debere intelligi, Medicus Oxoniensis ad spiritus recurrit, qui si omnino principiorum appellationem merentur, constitutiva non communicativa sanguinis principia dici debent, tum oratione ad tædium prolixâ sed ad controversiam nullatenus attinente Philosophatur quâ ratione in particulas succi nutritii ejusmodi principia agant: quæstio autem fuit an sanguis fieret per assimilationem

lationem quod affirmavit *Gliſſonius*, *Meara* autem negavit, propterea quod nutritio (quæ fit per aſſimilationem) Inanimis competeret nequeat, ſed generatio, ut ex conditionibus accretionis ac nutritionis, nec non diſcrimine inter generationem, nutritionem & accretionem omnium mortalium ſuffragiis confirmato luce meridianâ clarius apparet, quas argutias, ſcholarum ſcilicet nugas nebulaſq; cum non intelligat Medicus Oxonienſis, prudenter prætermittit.

Hoc reſponſo corruit altera re- Vin p. 51.
dargutionis pars in qua Meara *aſſerit ſanguificationem non fieri per actionem ſimilarem, quia tunc fieret per nutritionem. Quid enim impedit quominus dicamus ſanguinem ſicut partes ſolidas nutriri cum partes nutritias in ſe excipit & aſſimilet?*

Dixerat *Gliſſonius* ſanguinem fieri per actionem ſimilarem: negavit Author Examinis & tres negandi cauſas exhibuit; 1° Quia

ſan-

ſanguificatio fit ab organo diſſimilari, quod actionem ſimilarem edere nequeat. 2° Quia in ſanguificatione debent concurrere, tum ulterior coctio, tum ſeparatio excrementorum, quod actionis ſimilaritatem excludit. 3° Quia nulla eſt in corpore actio ſimilaris præter nutritionem: nutritionem autem ſanguini non competere patet ex conditionibus jam memoratis accretionis & nutritionis, ac diſcrimine inter generationem accretionem & nutritionem, quas Vindicator nullatenus attigit, ſed diſcurſum ad quæſtionem non attinentem pro reſponſo attulit: hic tantum dicit nihil impedire quo minus ſanguis nutriatur cum particulas nutritias in ſe excipiat: at fluvius plures rivulos, & tritici acervus plura tritici grana in ſe excipiunt, nec tamen nutriri dicuntur.

Sanguificationem fieri per aſſimilationem inde colligi voluit *Gliſſonius* quia fit per actionem ſimilarem,

milarem, propterea q; partem sanguificationi idoneam debere esse sanguini omnifariam similem: sanguinem autem sibi ipsi simillimum esse, cor hepar & venas nimirum. Negatit consequentiam *Mearæ*, & respondit ex similaritate similitudinem non necessario inferri, cum multæ res omnino similares & homogeneæ, inter se dissimiles esse possint, ut sunt os & caro: hic *Terræ-filius Glissonium* omnino deserit.

Hoc loco male infers Glissonii *argumentum supponere ulteriorem elaborationem requiri ad hæmatosin quam ad partium solidarum reparationem; cum ille tantum arguat cor hepar & venas, si sanguificeni duplici officio fungi, hoc est proprium nutrimentum & prætera sanguinem conficiendi: quare cum prius magis istis sit necessarium & forsan utriq; non sufficiunt, sequetur partes istas materiam pro hæmatosi allatam in proprium nutrimentum convertere debere.* *Vid.*

Ut

Ut appareat *Gliſſonium* ſuppoſuiſſe ulteriorem elaborationem requiri ad hæmatoſin quam ad partium ſolidarum nutritionem, ſufficiet ipſa *Gliſſonii* verba proferre quæ ſic habent. *Si cor hepar & vena ſanguificationis officio ſe accingerent, chylum ad ſuam ſpeciem, ſuæq; ſubſtantiæ ſimilitudinem tantum deducerent, ibiq; ſubſiſterent, neq; ad formam ſanguinis introducendam progrederentur, quum nihil agat ultra ſphæram ſuæ activitatis.* Perpendat Lector quid ſit tantum deducere, ibi ſubſiſtere, ad formam ſanguinis introducendam non progredi, nihil ultra ſphæram ſuæ activitatis agere.

Vin. p. 52. *Hic fatetur* Meara (*haud tamen ingenuè ſed argumenti* Gliſſoniani *vi coactus*) *aliquas Galenicorum rationes contra ſanguificationem efficaciter ego concludere, &c.*

Niſi decreviſſet Meara nihil niſi cum omni candore & ingenuitate aſſerere, levi negotio illud *Gliſſonii* argumentum inefficax oſtendiſſet

Ex-

Experimentum tuum melius quadrasset si lacti santalum rubrum incoxeras.

Experimenta tua sophistica sunt & deceptoria, *Meara* nudam ex- *Ibid.*
perimentorum veritatem amat & profitetur.

Ego fellis bonam copiam lacti & ad horam incoxi: quis fuerat eventus quæris? spe falsus operam perdidi.

Quod operam perdideris id tuæ imperitiæ ascribe: quamvis experimenta ubiq; crepes, operam tamen propter imperitiam te plerumq; perdere existimo.

Decretum est Mearæ *quicquid novi recentiora sæcula Medicinæ & veterum inventis addiderunt fortiter negare.*

Meara non negat sed laudat recentiorum inventa, & eorum industriam ulterius propagatam vehementer exoptat: sed conclusiones falsas & importunas ex illis ab ignaris tuiq; similibus homuncionibus deductas vituperat & damnat.

Vin p 54. *Negas ſanguinem chylo miſceri, & quaſi hoc minus eſſet proximis fere verbis negas chylum ſanguini miſceri, quaſi neutri cum altero res fuerit* & paulo poſt *Penum ſanguinis continuo pereuntem quid obſecro præter chylum reſarciet?*

Ingenioſa interrogatio! quaſi chylus in ſanguinem converti non poſſit niſi ſanguini miſceretur. Diſce igitur bipedum inſcitiſſime chylum in hepate primo in ſanguinem elaborari, tum reliquo ſanguini miſceri.

Vin. ibid. *Cæterum quid Tibi in mentem venerit miror, ut à* Galeni, *veterumq; medicorum doctrina receſſeris. Illi omnes chylum in vaſa meſaraica immediate influere ſtatuerunt ubi neceſſe eſt ut ſanguini confundatur antequam hepar attigerit.*

Tu Antiquorum ſcripta diligenter legiſſe videris, qui ignoras non paucos eorum docuiſſe chylum ad hepar, ſanguinem ab hepate per vaſa meſaraica ferri, non

ſimul

ſimul ſed temporibus diverſis, ut neuter alteri confundatur: quod an rectè dixerint, non moror.

Jam Vindicator non *Mearam* modo, ſed & alios *novo experimento docebit chylum ab hepate non tranſmutari. Inciſâ ſc. canis probe paſti poſt quatuor aut quinq; horas venâ jugulari, aut Arteriâ Carotide, ſanguinem omnem effluxurum quem in variis vaſculis refrigeratum mox chyli lacteſcentis ingentem copiam in ſummitate innatantem exhibiturum. In jeiuno autem & per plures horas impaſto animale nihil chyli in ſanguine innataturum. Unde concludit ſanguinem ad aliquot circuitus in ſinu ſuo chylum nondum aſſimilatum circumvehere.* Vin. p. 55.

Experimenti fides ſit penes Authorem: Sed intentum non probat: nam inciſâ jugulari vel Carotide & vaſis omnibus ſanguine depletis chylus etiam per confecutionem è vaſis chyliferis in vaſa ſanguifera rapitur, ibiq; ſanguinis reliquiis tinctus effunditur qui

poſtea refrigeratus ſanguini ſubſidenti ſupernatat.

Vin p. 56. *Sed circuitum ſanguinis qualem* Harvæus *deſcripſit, & nos ſupponimus,* Meara *alibi modo negavit, modo in dubium vocavit,* & poſtea *aliuſmodi ſanguinis motum ad ſui & Fortunii Liceti mentem ſubſtituit, in quo nec ſemper tantum ſanguinis quantum Juniores quidam aſſerunt, nec ad ſingulos pulſus ex ſiniſtro cordis ventriculo* in Aortam *deponitur.*

Meara nec alibi circulatorium ſanguinis motum qualem *Harvæum*, & longé ante *Harvæum* Cæſalpinus deſcripſit, negavit, nec ut hîc agnoſceret neceſſe exiſtimavit, cum ſalvâ circulationis doctrinâ omnia à *Gliſſonio* objecta commodé dilui poſſint. Juniorum tamen nimis feſtinantem circuitum omnino negavit: Sed ſanguinem eâ temporis & copiæ menſurâ quætotius indigentiæ conducit ab auricula in ſiniſtrum cordis ventriculum fundi, indeq; in auriculâm denuo refundi

di, & perpetuo Eurippo ad perfectam uſq; elaborationem mitti & remitti aſſerit, quem motum reciprocum tu ineptè circulationem vocas.

Sed vereri oportuit ne ſanguinium concuſſus & agitatus tandem coaguletur. Vin. p. 57.

Atqui circulationis patroni ideo ſanguinis circulationem neceſſariam dicunt, ut motu à coagulatione & incraſſeſcentia conſervetur.

Sed cur Arteriæ juxta cordis motum vibriſſant, ſi non ſingulis pulſibus ſanguis in Aortam ejiciatur? Vin. p. 58.

Arteriæ cordis motum ſequuntur fuligines in ſyſtole expellentis, in diaſtole aerem excipientis.

Si *vena ubivis digito comprimatur, conſtabit ſanguinem per eas verſus cor continuo curſu feſtinare: illarum vacuitates quomodo ſupplentur niſi ipſius perennis in arterias influxus concedatur?* Ibid.

Natura eâ providentiâ ſanguinis ad cor accurſum, ejuſq; in corde

elaborationem moderatur, ut in corpore ſano nulla ejuſmodi vacuitas contingere poſſit.

Vin. p. 58. *Obſervationes Pathologicæ indicant cordis oppreſſionem & lipothymium ſanguine vel momentum temporis in corde ſtagnante induci.*

Tu pro Examinatore reſpondes ſanguinem in ſiniſtro cordis ventriculo diu coercitum non illic ſtagnare, ſed circuitum quendam inter ſinum & auriculam peragere, qualem equus molæ alligatus: ſed non intelligis quid ille dicat. Nec enim dixit aut voluit ſanguinem diu in ſiniſtro cordis ventriculo coerceri, nec ibi circuitum qualem equus molæ alligatus facere, ſed motu reciproco, qui non fit circuitus, ſanguinem à dextro ventriculo per medium ſeptum in ſiniſtrum influere, inde per idem ſeptum ad dextrum reciproco motu mitti & remitti.

Vind. ib. *Interea quid fiet de ſanguine vaſa pneumonica influente? an par eſt ejus curſum ſiſti, dum perpetuus iſte ſanguinis*

ſanguinis in ſiniſtro cordis ſinu Euripus finitur? an non pulmonum inflatio & immobilitas, prout in aſthmaticis aſſolet, à ſanguine in eorum ductibus ſtagnante inducetur?

Natura æqué provida eſt in moderando ſanguinis in vaſa pneumonica in fluxu, ac in ejuſdem ad cor accurſu fuiſſe jam diximus. Tu autem ſupponis eundem eſſe ſanguinem qui in corde elaboratur & in vaſa pneumonica influit, quod ab omnibus non concedi-tur.

Cum in cordis ſyſtole latera com-preſſa ſanguinem explodant, neceſſe erit eum non in auriculam qua intraverat, & in qua præſto eſt ſanguis alius qui mox ſubintret, ſed in Aortam propelli. Vir. p. 59.

Copia ſanguinis in corde tanta non eſt ut ad ſingulos pulſus quidpiam effatu dignum explodi neceſſe ſit: multæ autem ſunt fuligines quas in ſpirituum vitalium generatione explodi neceſſe eſt: quo-

ties autem exploditur, illum in Aortam explodi concedimus.

Ibid. *Verum miles hic glorioſus tanquam devicto* Harvæo *pergit ad vaſa Pecquetiana, quorum exiſtentiam in dubium vocat, & uſum plane negat.*

Vindicator poſt tres verſus Examinatorem inducit dicentem, *Dubium non eſſe duos ramos à receptaculo Pecquettiano ad ſubclavias ferri:* hîc dicit Examinatorem eorum *exiſtentiam in dubium vocare:* nimirum dubitare & non dubitare vindicatori idem ſonant: at Examiniator *ramorum Pecquetti uſum planè negat:* negat uſum illis à quibuſdam junioribus aſſignatum, totum nempe chylum per illos ad ſubelavias ferri quod fieri non poſſe doctiorum inter juniores pleriq; exiſtimant: hoc autem non eſt eorum uſum plane negare, quod perinde eſſet ac dicere nullum eorum eſſe uſum.

Quare hæc vaſa ideo tantum conſtructa fuiſſe aſſerit ut inter diros animalium cruciatus ſucci ad cor quâ poſſint commodius pergant. Prius dixeras nec chylum ſanguini miſceri, nec ſanguinem chylo : nunc vero inter cruciatus id fieri non modo commodum ducis, verum id propter hæc vaſa fabricari innuis, & paulo ante, *Thoracicarum uſum plane negat.* Vin. p. 60.

Quanta impudentia! quam in ſana mentiendi libido? Aſſigna locum *Terræ-fili* ubi dixit Examinator, vel leviter inſinuavit Ramos Pecquetianos Ideo tantum conditos fuiſſe ut inter diros annimalium cruciatus ſucci ad cor quâ poſſint commodiùs pergant? ubi ita fieri non modo commodum dixit, ſed id propter hæc vaſa fabricari innuit? Dixit autem uſum Thoracicarum à Pecquetto aſſignatum ſuſpectum eſſe. Hoccine eſt omnem alium earum uſum planè negare? Dixit inter diros empſychotomias cruciatus fieri poſſe ut ſuccus

ſuccus chyloſus hoc iter licet alteri uſui in animale recte valente deſtinatum præoccupet. Hoccine eſt aſſerè ideo tantum hæc vaſa fuiſſe condita? id propter hæc vaſa fabricari? Jam ſat mentitum eſt: perge nugari.

Ibid. *Si rebus naturaliter ſe habentibus chylus ſit ſanguini inimicus, certe multo minus cum natura affligitur eidem confundi debet.*

Dixit Examinator nec chylum ſanguini, nec ſanguinem chylo miſceri, propterea quod uterq; ſuccus diverſam ſortitus ſit generandi officinam: quomodo inde inferri poteſt alterutrum alteri eſſe inimicum? *Sed ſi rebus ſe naturaliter habentibus non miſcentur, multo minus cum natura affligitur.* Verum conſideraſſe debebas corde in viviſectione affiicto non ſemper quod fieri debet ſed quod fieri poteſt contingere.

Vin p. 61. *Sed hæc machinas irritas appellas, quibus te ipſo judice Natura cordi ſuppetias ferre conatur. Verum*

rum si irritæ sunt, cur natura quæ nihil agit frustra eas omnino fabricavit?

Natura ut cordi auxilietur in empsychotomiæ tortura succum chylosum per lacteas Thoracicas alteri usui in animale recte valente destinatas eo frustrâ mandat: ergo natura lacteas Thoracicas in animale frustra fabricavit: Ingeniosam *Terræ-filii* consequentiam!

Aut si in subitis & improvisis cordis affectibus chylum subsidio venire oportuit, nihil opus erat isto circuitu, nec per ambages perducendus est quem potius, festinare decuit viâ proximâ & maxime compendiariâ. Sed quæ obsecro est illa? *Ibid.*

Non rectè concludis contra Glissonium *hydropem & cachexiam profusas hæmorrhagias consequi non ob sanguificationem læsam, sed quia deficiente nutrimento partium tonus & facultas concoctrix læduntur, ac spirituum tum insitorum tum vita-* *Vin. p. 62.*

vitalium reparatio & generatio ceſſat.

Examinator dixit hydropem & cachexian conſequi profuſas hæmorrhagias quia deficiente nutrimento partium tonus & facultas concoctrix debilitantur, ſpirituumq; generatio ceſſat. Tu ex Tuo addis *non ob ſanguificationem læſam:* at ubi ſanguificationem læſam excluſit *Meara?* Noveris autem ideo ſanguificationem lædi quia ſanguine (qui partium eſt ſanguificationi dicatarum nutrimentum & ſpirituum materia) deficiente, partium vis concoctrix & ſpirituum generatio ceſſat.

Vin. p 62. *Præterquam enim quod partes ſolidæ non ita ſubito immutari poſſunt, ſpiritus iſti ſi modo in partibus ſolidis & non à ſanguine producuntur & dependent, profuſâ hæmorrhagiâ tam inſigniter & tam cito imminui nequeunt.*

Spiritus vitales cum ſubſtantiæ ſint fluxiles & aereæ ex tenuiſſima ſanguinis parte & aere in pulmonibus

monibus præparato genitæ, ſubito & confertim in profuſa hæmorrhagia una cum ſanguine effunduntur & perduntur, non *immutantur*, ut tu pro captus tui obeſitate exprimis: quod enim mutatur non perdi ſed manere ſupponitur. Cum autem deperditorum loco ſpirituum, novorum perpetuâ generatione opus ſit, quæ in magna ſanguinis jactura haberi non poteſt, partium tonus ſubitò concidit, quæ propterea refrigeratæ ſanguinem non niſi crudum gignunt, unde hydrops & cachexia, quæ non ſubito ſed ſenſim & paulatim invadunt & invaleſcunt, ut vel inde conſtet non ſanguinis defectum ſed partium temperiem immutatam (quæ ſanguinis defectum conſequitur) immediatam eſſe læſæ ſanguificationis cauſam & conſequenter hydropis & cachexiæ. Cæterum Ormonienſis non dixit ſpiritus iſtos à ſanguine ſed ex ſanguine produci: hoc enim cauſam materialem, illud efficientem

cientem denotat, quam differentiam quantumvis manifeſtam craſſa Oxonienſis Medici Minerva non comprehendit.

Ibid. *Nam quod tu regeris ſpirituum generationem ceſſare, & partium ſolidarum tonum debilitari omnino falſum eſt: quoniam in longa inedia & aſſiduis laboribus nutrimentum multo magis deficit, & exinde partes ſolidæ multo magis emarceſcunt quam ob ſanguinis jacturam, quæ tamen accidentia nec hydrops nec cachexia ſequitur. Quare hinc conſtat viorbos iſtos quando hæmorrhagiis profuſis ſuccedunt à ſanguificatione læſa procedere.*

Examinator nuſquam ſanguificationem læſam à cauſis hydropem & cachexiam generantibus excluſit. Duas autem ob cauſas dixit hydropem & chachexiam profuſas hæmorrhagias conſequi: ob defectum ſc. ſpirituum & defectum nutrimenti, ſpirituum defectus contingit ceſſante eorum generatione in penuria ſanguinis, ex quo ut ma-

materia fiunt : ſpiritibus deficientibus partium temperies refrigeratur, unde chylus non recte coquitur nec ex eo ſanguis laudabilis conficitur, quod idem eſt ac ſanguificationem lædi. In laboribus & inedia partibus non ſuppeditatur ſufficiens nutrimentum, unde marceſcunt, quod ſuppeditatur tamen laudabile eſt, unde nec conſequitur hydrops aut cachexia, quia in parca alimenti exhibitione licet non ſatis nutriantur partes earum tamen temperies non immutatur, donec ad extrema ventum eſt.

Gliſſonii *experimentum quod contra cordis hæmatoſin urget, quia ſc. lac aut chylus cordi adhuc calido & recens exempto infuſa nullam mutationem ſubeunt, impudenter derides potius quam refellis, cum revera ſi cor ſanguificet, veriſimile ſit id perfici à fermento quodam cordi inſito, ejuſq; in viſcere exempto ſaltem veſtigia quædum & ejuſmodi reliquias ſupereſſe quæ chylo aliquatenus* *Vin. p. 63.*

quatenus alterando etiamnum ſufficiant.

Ut innoteſcat Lectori quam impudenter Medicus Oxonienſis impudentiæ Examinatorem accuſet, viſum eſt locum à Vindicatore notatum cum *Gliſſonii* textu integrum hîc tranſcribere, ubi & ſermonis modeſtia & ratiocinii firmitas illum à *Terræ-filii* calumnia vindicabit.

Evelle, inquit *Gliſſonius*, *ſani animalis cor, ſanguinemq; inde omnem elue, ac mox dum etiamnum calet, ſanguinem aut lac in venticulos ejus infundito, viſurus num liquor ille ſanguinis aliquam faciem induturus ſit: experieris profecto illum neutiquam immutatum iri. Eſt tamen cor pars ſolida ac minus veriſimile videtur actionem quam ratione ſolidoris ſubſtantiæ ſuæ exequitur, momento temporis intercipi.*

Atqui, inquit *Meara*, *ego eodem conficiam experimento nec ventriculum chyloſeos, nec oculum viſionis,*

nec

nec manum apprehensionis, nec pedem ambulationis organa esse. Evelle enim protinus sani Animalis ventriculum: eum, dum adhuc calet, elue: ei quantocius cibum quantumvis eupepton ingere, visurus num chyli aliquam faciem induturus sit: experieris profecto illum neutiquam immutatum iri. Erue quantocius oculum, brachium aut pedem abscinde, profecto nec oculus videbit, nec pes ambulabit, nec manus apprehendet. Sunt autem partes corde non minus solidæ. Cur igitur earum functiones momento temporis intercipiuntur?

At, inquit *Glissonius*, *cor functionem suam ratione solidioris substantiæ exequitur: Verum nos hactenus credidimus membra suas functiones exequi non tantum ratione substantiæ quæ per se non agit, sed etiam, & forte magis, ratione temperiei & conformationis: mihi quidem videtur cor non agere magis ratione solidioris substantiæ quam pedem aut manum.*

Non advertit credo Gliſſonius *partem à Medicis definiri corpus toti cohærens, communiq; vitâ conjunctum, quâ partes cohærentiâ dedeſtitutæ, non ampliùs ſunt partes niſi æquivocè. Præterea nullamne concedet efficaciam Animæ, ſeu quod idem eſt, Formæ* Gliſſonius, *qua per ejuſmodi evulſionem cor privatur?*

Hactenus Author Examinis: in quibus verbis quid impudentis aut immodeſti comperit Medicus Oxonienſis? Sed *Mearam* ridere cauſaris potiùs quam refellere *Gliſſonianum* experimentum. Suppone ridere: Ridentem dicere verum Quid vetat? Sed an non refellit? Oſtendit reliquarum functionum inſtrumenta à toto avulſa confeſtim proprias actiones exequi non poſſe. Si hoc non eſt refellere, cur Tu rationis diſparitatem non oſtendis? quæ enim major eſt ratio cur Cor à toto ſeparatum functionem ſuam exequi debeat, quam ventriculus, oculus, pes aut manus? *Gliſſonius* permanentiam

fuctionis

functionis cordis post separationem à toto, solidioris substantiæ ratione expectandam censuit. *Meara* reposuit, manum aut pedem corde non minus esse solida, eorum tamen functiones momento temporis intercipi. Reposuit membra suas functiones exequi, non tantum ratione solidioris substantiæ quæ per se non agit, sed etiam ratione temperieti & conformationis. Hæc modesto silentio supprimit Vindicator. Sustinet tamen si cor sanguificet verisimile esse id perfici à fermento quodam cordi insito cujus vestigia quædam & reliquiæ in viscere exempto supersint quæ chylo alterando sufficiant: sed cum verisimilitudo hic nulla sit, donec ulteriorem illius probationem attulerit Vindicator, illam missam faciemus, nisi quidpiam quod fermenti rationem habeat in corde insitum esse probaverit: de quo brevi erit dicendi locus.

Vin. p 64. *Quod de ventriculo pariter exempto instas fermentationi in corde exempto probabilitatem quandam astruit. Quippe experientiâ quotidianâ patet vitulorum stomachos exemptos & asservatos pristinæ* ζυμώσεως *indolem quandam retinere qua mulieres rusticæ pro lacte coagulando utuntur.*

Coagulum ex lacte paulo ante lanienam vitulis exhibito natum propriâ indole & salis adjectione acescens vim coagulatricem non fermentatricem acquirit. Quanta autem inscitia est qualitatem coagulatricem cum ζυμοποιητικῷ confundere, quarum hæc rarefacere & rarefaciendo in tumorem attollere, illa è contra condensare & compingere nata est?

Ibi l. *Quod regeris contra* Glissonium *&* Willisium *partes à toto separatas statim formâ sive Animâ totius privari, & propterea functionem suam amittere, facile refutatur, quia animalium quorundam corda postquam corpore eximuntur diù pul-*

pulſant : tum anguillæ & ſerpentis partes poſtquam diſciſſæ ſunt, omnes ſe movent : & poſtea. *Animam Bruti non eſſe totam in toto, & totam in qualibet parte, ſed corpoream & diviſibilem & toti corpori coextenſam cum* Williſio *contra Ariſtotelem ſtatuit.*

Medicinæ ſubjectum eſt corpus humanum, non belluinum, nec brutorum corpora aliter conſiderat Medicus, niſi quatenus ad corporis humani naturam illuſtrandam conducere poſſunt. Quare illationes factæ à brutis ad homines in illis tantum valere cenſendæ ſunt in quibus ab hominibus bruta non differunt. In multis autem differunt : in hoc ſaltem, quod Brutorum Animæ diviſibiles ſint, & quorundam, imperfectiorum ſaltem, corporibus coextenſæ : hominum indiviſibiles ac totæ in toto & totæ in qualibet parte. Propterea quælibet humani pars corporis à toto diviſa totius Animâ privatur, & ad proprias functi-

ones obeundas inepta evadit: unde constat instantias à vindicatore in imperfectiorum Animalium partibus à toto divisis post excisionem palpitantibus aut aliter motis nihil concludere: Verum quum vindicatorem paulo antea sustinentem viderimus *Animam Irrationalem* sibi cum Brutis esse communem, per me licebit eam habeat & divisibilem, & corpori coextensam, adeoq; ut *Willisianum* iste *Terræ-filius Anguillarum aut Serpentum* instar divisus utrimq; vivat, utrimq; histrionicè moveatur, effusiorem spectantibus quam olim de suggesto risum moturus. Cæterum gratissimam nobis rem fecisset optimus *Terræ-filius* si locum assignasset ubi *Aristoteles* brutorum Animas statuit indivisibiles, ubi hunc cum illo contentionis funem trahat *Willisius*: non leve enim operæ foret pretium pygmæum cum Gygante luctantem spectare. Interim meminerit Examinis Authorem adversus *Willisium* formas

formas & qualitates inania eſſe figmenta aſſerentem obſervaſſe functionum in hoc caſu fructrationes membrorum exciſionem conſequentes, non principiorum *Williſianorum* defectui, ſed formæ abſentiæ aſcribendas eſſe, quam nucem quia comminuere non potuit Vindicator integram devoravit.

Ultima tua in Gliſſonium *animadverſio ubi clariſſimum virum ad categorias & prædicabilia remittendum ſtatuis, &c.*

Paragraphum Examinis hic notatum, in quo paulo ſeverius perſtringitur expreſſio quædam à Clariſſimo *Gliſſonio* per incuriam elapſa, ſe voluiſſe omiſſum profitetur Author Examinis, & ut ex exemplari ad Typagraphum miſſo deleretur mandaſſe, quod inter operarum feſtinationes tranſcriptor neglexit. Sed *Williſium* ejuſq; vindicem non ad categorias & prædicabilia quæ nunquam videntur vel ſemel ſalutaſſe, ſed ad pædagogii ferulas tot utriuſ-

que Diatribæ & vindicationis puerilia ſphalmata teſtantur.

Vin. p. 66. *Verum ut perſpiciat candidus Lector quâ fide tractaveris, quo judicio legeris authores ipſa* Bartholini *verba hic tranſcribere viſum eſt.*

Examinis Author ea fide tractavit, eo judicio legit verba *Bartholini* quibus *Gliſſonus*, qui Anatom. Hep. cap. 35. *Bartholini* verba adducit aſſerentis *non omnem Chylum per lacteas thoracicas ad cor ferri, ſed per lacteas meſenterrii ad hepar*, ut hic in te fidem ego non immeritò deſiderem, & ſuadeam ut jocularem de *picturis & Iconibus* ſcurrilitatem ad proximas Oxonienſis Actus ſolemnitates reſerves, in riſum forte quem primâ occaſione elicere non potuiſti auditores hac ſaltem ἀγωνία conjecturus.

Cæterum nec totum chylum nec aliquam ejus partem per Ramos Pecquettianos, vulgò chyliferos dictos, in ſubclavias ferri

Ludovici

Ludovici Billſii experimento toti orbi (ut ipſius *Bilſii* phraſi utar) demonſtratur, ut conſtat ex ejus Epiſtola *Batavica* ad *L. Jordanum* miſſa, referente & interprete *Vopiſco Fortunato Plempio.* Is igitur canis vivi & recens paſti abdomen aperit, arterias meſenterii à venis ſeparatas ligat, ne quid ſanguinis in venas exonerent: mox abdomen conſuit, canemq; alicubi quieſcere permittit ad quatuor vel quinq; horas, dum ſc. aſſumpta in chylum exiſtimentur converſa, canem interea liquore aliquo cordiaco refocillando. Tum abdomen diſſuit, venaſq; aperit quas invenit turgidas chylo ſeu liquore craſſo leucophæi coloris, quem nullo negotio in venam Portam adigit, eumq; in hepate in ſanguinem elaborari inde concludit quia quod in vena Porta paulo ſub hepate aperta conſpicitur craſſum eſt, opacum, coagulatum: Quod in cava ſtatim poſt hepar tranſmiſſum rubicundum, eſt clarum & ſubtile. Quod

Quod vero in utrisq; lacteis, mesentericis scilicet & Thoracicis conspicitur, chylum non esse, sed rorem quendam per intestinorum substantiam transudantem inde probat quia si esset aliquid in sanguinem mutandum, cum extravasatur & reponitur, instar sanguinis crassescere & coagulari deberet, quod neutiquam contingere contendit. Roris hujusmodi multos & præstantissimos usus tum *Willisius* tum *N. Tas* Roterodamensis assignant, quos recensere hujus instituti non est, ductus autem vulgo chyliferos putatos non amplius chyliferos sed Roriferos anabaptizandos censent.

Hinc apparet quam graviter à quibusdam neotericis erretur, qui propter leviculas apparentias, nec dum satis intellectas, solida & præclara majorum inventa tam temeré rejiciunt.

CAP.

CAP. VI.

Willisium *imperitè de principiis chymicis discurrere: Tria principiorum in mixtis genera admittenda esse*: Chymicorum *principia cum* Aristotelicis *consistere*: Willisium *mixti corruptionem cum ejusdem analysi confundere: eundem omnes prope mixtorum affectiones ab omnibus indiscriminatim principiis deducere.* Vindicatoris experimentum *sibi adversari*: Cathartica *electivè purgare*: *Dari Attractiones Electivas*: *Multiplex* Vindicatoris *impostura. Serum à Pituita longè differre. Unde oriantur varii excretionum Colores.*

QUo successu pensum tuum de sanguinis facultate sanguifica adversus Harvæum *&* Glissonium *absolvisti, aliis judicandum relinquo. Interim pro* Willisio *nostro respondeo eum rectissimè chymicorum principiorum quinarium numerum* *Vin.* p. 70.

merum assignasse: nam corporum quorumcunq; Analysis non modo spagirica, sed & naturalis & spontanea nullâ vi aut arte ad hibitâ totidem distincta elementa perpetuò exhibet, prout author de Fermentatione cap. 2. *manifesto declarat.*

Quâ tu methodo *Glissonium* & *Harvæum* defendere cæpesti, convitiis sc. & difficultatum propemodum omnium subticentiâ, eidem nunc in *Willisio* propugnando insistis, & Examinis Authori scissitanti cur *Willisius* Mercurium ex principiorum chymicorum albo expunxerit, eiq; spiritum substituerit, ne gry quidem respondes. Eidem cur tria veterum chymicorum principia duorum accessu adauxerit, respondes veteres chymicos medicamentorum & magni Elixeris compositioni intentos potissimum respexisse ad principia activa, alia in censum non retulisse. At dic obsecro si spiritus iste *Willisianus* quidpiam est à Mercurio

rio diverſum, cur diverſitatis rationem non explicuit? cur lectorem non edocuit, quare hoc repudiato illum introduxerit? ſi idem plané ſunt, quo operæ pretio nominis mutationem inſtituit? ſi veteres chymici ad activa ſolum principia reſpexerunt omiſſis paſſivis, quomodo de mixtorum ſolutionibus & coagulationibus egerunt, quæ mutuâ agentium & patientium operâ & reactione perficiuntur?

At analyſis tum ſpagyrica tum ſpontanea totidem deſtincta elementa perpetuò exhibet. Sed unde id conſtat? ex *Williſiana* de Fermentatione diatriba *cap.*2. ubi præfidenter aſſerit in muſti in vinum maturatione præter liquorem Aqueum, etiam ſpiritum, partem ſulphuream, ſalem & terram tum guſtui tum oculis noſtris eſſe conſpicua: In plantæ ſucco digeſtione exaltato eadem ſincera & veluti diſtincta exhiberi. Atqui *hæc digito prout profitetur monſtra-*

ta

ta oportuit. Nos enim tam ſumus Talpæ, ut ejuſmodi nihil poſſimus diſcernere. Videmus quidem & guſtu deprehendimus vinoſam vini ſubſtantiam. Videmus particulas leviores ſurſum elatas, quas florem vini *Williſius* appellat. Videmus tartarum ſeu fæces in fundo. Hæc autem vini eſſe principia aut partes integrantes *Williſius* alibi fortiter negat. In ſuccis pariter digeſtione exaltatis videmus bullas in ſummitate, ſucci ſubſtantiam in medio, fæces in fundo. Si quid præterea conſpiciendum occurrit cur illud *digito non monſtrat* vel ſaltem nominat *Williſius?* cur eadem ſincera & veluti diſtincta non exlibet? Quam egregius analyſta eſt *Williſius* qui *quinq; principia tam levi negotio detexit, idq;* (quod raro aggreditur) *citra ullam furnularii apparatus pompam?*

De Fet. cap. 5.

Vin p. 73.

At ait idem Williſius *in rebus flammæ ſubjectis etiam quum in nihilum redigi videntur in hujuſmodi principia fit ſeceſſus:* ſed quomodo?

De Ferm. cap. 2.

modo? Nimirum præter ſalem in cinere ſuperſtitem, Spiritus, Sulphur, Sal, Aqua, & Terra, quodam veluti *Miſtionis compendio in fuliginem veluti in Meteoron concreſcunt.* Secedunt ſcilicet quia concreſcunt. Euge *Williſi*: cujus Philoſophi quantumvis refractarii aſſenſum non expugnaret tam *fuliginoſa* ratiocinatio?

Quanto igitur melius Willisius *qui principia inter ſe compoſita explicuit, & ut plura, ita ſimpliciora conſtituit?* Vin. p. 72.

Examinis Author objecerat veteres chymicos Aquam & Terram (addo ego etiam Aerem & Ignem) ſub antiquo principiorum ternario compræhendiſſe. Quæro igitur cur *Williſius* etiam hæc non explicuit, & adhuc plura principia, ut eſſent ſimpliciora, non conſtituit? Sed ignorat *Williſium* doctiores & prudentiores Spagiricos admittere quatuor *Ariſtotelis* principia, non ut proxima chymicarum operationum, ſed ut remota, generationis

tionisſc. & corruptionis principia, in quæ Mixta omnia (ipſis etiam chymicorum principiis non excluſis) ultimô reſolvantur. Nec enim chymiæ objectum ſtatuunt generationem & corruptionem, ſed mixtionem & reſolutionem. Videmus quippe in corruptione ſimplici generationi oppoſita, de qua agit phyſicus, ita mixtum reſolvi ut virtutes ejus omnino pereant, ipſumq; in aliud quidpiam ſpecie omnino diverſum mutetur: In reſolutione autem chymica ita mixti principia diſſecari & disjungi, ut partes ejus diviſæ internas mixti virtutes pro principiorum cujuſq; ratione conſervent, idq;, citra ſpeciei mutationem.

Ex his patet quam imperité *Williſius*, mixti corruptionem cum ejuſdem analyſi confundat: quam incongruè alteram *Ariſtotelicorum* principiorum bigam in cenſu principiorum collocet, alterâ neglectâ. Ut omittam quam imperfectè principia chymica definiverit ſubſtantias

ſtantias in quas ut partes ultimò ſenſibiles res phyſicæ reſoluuntur. Caro enim & caſeus in vermes tanquam partes ultimô ſenſibiles reſolvuntur, quos tamen carnis aut caſei principia eſſe nemo dixerit.

Sed ne tu nimis de chymicis, quia hæc longe ſupra crepidam tuam ſunt. Vin. lb.

Ut appareat quam meritò *Williſius* (quem an Vindicatorem nominem perinde eſſe ſæpius monui) chymiæ imperitiam Examinatori aſcribat, lubet paululum digredi & oſtendere quam eruditè & nervosè de principiis ſuis ipſe diſcurrat. Quod ut clarius oſtendatur, notandum eſt uniuſcuiuſq; facultatis principia ita eſſe ſimplicia debere, ut intra ejuſdem facultatis latitudinem neutrum de altero participet. Ita in phyſica rerum principia noëtica, materia ſc. & forma extra compoſitionem conſiderata omnia ſimplicia ſunt, & ex aliis vel ſui ipſorum

sorum aliquo incomposita. Ita in eâdem facultate mixtorum principia remotiora, quatuor sc. elementa, licet ex istis prioribus composita, inter se omnino sunt incomposita: nec enim terra ex aere, aut ignis ex aqua, vel alterutrum ex alterutro componitur, licet istorum quatuor unumquodq; ex materia & forma componatur. Ita in chymiâ sal sulphur & Mercurius inter se adeo nihil habent commune intra chymiæ latitudinem, ut quod de uno affirmatur de altero affirmari nequeat, quamvis eorum unumquodq; ex utroq; principiorum antea dictorum genere, elementis sc. necnon materia & forma constituatur. Notandum similiter est unamquamq; simplicem qualitatem seu affectionem ita cuilibet mixto inesse, ut eâm simplici cuipiam corpori seu formæ omnibus mixtis ubi ejusmodi qualitas reperitur communi, acceptam referri debere. Ita intra physicæ ambitum ubicumq; frigus de-

deprehenditur, ibi de aqua, ubi humiditas, de aere, ubi calor, de igne participari concludimus. Ita chymici ubi quidpiam ἐλάτιον advertunt, ibi sulphur inesse, ubi mobile aut volatile, Mercurium, ubi fixum aut corpulentum, salem inveniri non dubitant. At contra *Will.* sua principia activa, eorumq; affectiones adeo non explicuit ut summoperè implicuerit & confuderit, omnesq; propemodum qualitates & effectus ab omnibus indiscriminatim principiis deduxerit. Ita Tractatus de Fermentatione *cap.*2. à Spiritu deducit fructuum maturitatem, plantarum vegetationem, rerum formas & figuras. Paulo autem post sulphuri ascribit vim vegetativam & maturativam, necnon pulchritudinem & deformitatem, sub quibus formâ & figura comprehendi debent. Ac postea in eodem capite etiam Sali attribuit plantarum vegetationem, fructuum maturitatem, formam atq; pulchritudinem, ut

non tria principia actiua, ſed unicum tantum videatur poſuiſſe. Idem ibidem colorum & odorum varietates nunc ſali nunc ſulphuri refert acceptas, quodq; æquè mirum eſt eidem ſulphuri nunc calorem nunc frigus attribuit. Ex his paucis *Williſii* eruditionem tanquam ex ungue leonem facile eſt conjicere, quamq; longé ſupra ejus crepidam ſit rerum phyſicarum pariter ac chymicarum conſideratio.

Vin ib. *Quare his ſtatim omiſſis bene eſt quod ad quatuor elementa te recipias* & paulo poſt. *Etiam hæc tu per analyſin ſpagiricam exhiberi poſſe ex* Billichio *oſtendis.*

Quatuor elementa mixtis ineſſe *Billichii* experimento oſtendi tu negare non audes quamvis fateri erubeſcas : ad illa tamen ſe recipit Author Examinis non quod etiam tria chymicorum principia mixtis ineſſe neget, ſed quod exiſtimet in ſubjecto de quo agitur clariorem & magis obviam eſſe difficultatum

cultatum quæ paſſim occurrunt ſolutionem per illa quam per iſta. Verum in ſanguinis Anatome non in ſola elementorum aut etiam principiorum chymicorum conſideratione, quorum utraq; nimis ſunt remota, ſubſiſti debere contendit, ſed etiam proxima ſanguinis principia ſeu partes inveſtigandas eſſe, ne ſi in remotis hiſce inſiſtamus, illud nobis objici merito poſſit, quod Peripateticis imponit *Williſius*, nempe quod Domûs principia quærenti ligna & lapides oſtendant: In quem errorem ipſum *Williſium* incidiſſe Examinator oſtendit, dum ſanguinis principia ponit Quinarium ſuum rebus omnibus communem: nec Vindicator vel errorem excuſat, vel culpam amolitur.

Sed condonabit credo Meara Williſio *aliiſq; chymiam Adeptis ſua quinq; principia, ſi modo ſuos quatuor humores intactos reliquerint.* Vin. p. 72.

Meara ſolum *Williſium* quinq;

principiorum assertorem, solus *Terræ filius* chymiam Adeptum agnoscit. Nos autem illum verius septem quam quinque (si ultra tria) principia ponere debuisse nuper ni fallor, ostendimus. Porro sanguinis ex quatuor humoribus compositionem *Billichii* autopsiâ & *Hippocratis* experimento testatam fortiter negat *Terræ filius*, pari sc. contumaciâ ac Examinatoris experimentum de lacte per fellis adjectionem rubescente rejecerat, quæ dogmata qualiacunq; propugnandi ratio est omninò inexpugnabilis. Interim proprium experimentum, cui præ *Hippocratico* fidem habendam esse quis ambigat? proponit.

Canis igitur vivi arteriam carotidem incîdit, sanguinemq; emissum, qui totus effluit, totum homogeneum & coccinei coloris deprehendit absq; ullo crassamento atropurpureo, vel cujusvis alterius humoris admixtione, nisi forte seri quidpiam à reliqua massa secedat,

cedat, vel etiam chyli, ſi animal fuerit recens paſtum. Deinde alterius canis jugularem venam incîdit, emiſſumq; ſanguinem, quī etiam totus effluit, totum deprehendit nigricantem ſeu atropurpureum pelliculâ quadam exceptâ coccinei coloris in ſummitate conſpicuâ, reliquâ maſſâ decuplo minore.

Hoc experimento duo probari exiſtimat, 1o Sanguinem duabus tantum partibus conſtare, flore ſc. coccineo, & craſſamento atropurpureo. 2o Sanguinem juxta *Harvæum* nunc ſimilarem eſſe, nunc diſſimilarem. Quod ad primum attinet, in eo difficultatis cardo vertitur, uter oculatior ſit, uter veracior, *Billichius* qui quatuor, an Medicus Oxonienſis qui tantum duas in ſanguine extravaſato partes deprehendit. Quod ad ſecundum, debuit addidiſſe ſanguinem ſimilarem eſſe, ut ſenſus, diſſimilarem ut motus ſit organum. Debuit &

oſtendiſſe ſanguinem ſimul & eodem tempore ſimilarem eſſe & diſſimilarem, cum ſimul (& ſemper ſi unquam) debeat eſſe ſenſus & motus organum, vel ſaltem venoſum ſanguinem eſſe motus, arterioſum ſenſus organum, quandoquidem hic ſit ſimilaris, ille diſſimilaris, de quibus alibi agemus.

Cæterum ex hoc venoſi & arteriſi ſanguinis diſcrimine ego ſimiliter duo ſi non tria colligo ſummopere, ni fallor, Medico Oxonienſi importuna.

Primo colligo ſanguinem nec eſſe fontem caloris nec per ſe calidum, partibuſve aliis quibuſcunq; calorem diſpenſare prout Vindicator *p.* 40. magnâ contentione & *Capreolo* vel Syllogiſmo irrefragabili ſe oſtendiſſe affirmavit. Si enim per ſe calidus eſſet. *non marceſceret ut carbo extinctus* quando per venas reducitur, nec opus haberet *cordis fermento* tanquam *Foco Vitali* in quo protinus

Vin. p. 177.

in-

inflammetur. Quod enim per se calidum est calore aliunde mutuato non indiget.

Secundo colligo hanc utriusq; sanguinis disparitatem adeo circulationi non favere, ut totum sanguinem venosum ad cor identidem non revehi vel per arterias transmitti luculentum sit indicium. Si enim in circulatione identidem sanguini arterioso misceretur, quomodo fieri possit ut sectâ arteriâ tanto floridior appareret quam sectâ venâ, quum in quolibet circuitu uterq; misceatur & per utrumq; canalem universus effluat? Vel enim color ille nigricans sive atropurpureus provenit ab adustione vel ab admixtione fæculentiæ melancholicæ. Si ab adustione, magis nigresceret sanguis arteriosus quia in arteriis magis quam in venis incandescit. Si ab admixtione succi Melancholici, signum est succum illum non fuisse sanguini arterioso mixtum, adeóq; sanguinem universum in omnibus

vasis

vaſis non circulari: quod favet ſententiæ Riolani aſſerentis ſanguinem non circulari in Ramis venæ portæ. Nec poteſt dici ſanguinem in arteriis rubeſcere propter recentem calorem, in venis nigreſcere ut carbonem extinctum propter frigus: ſanguis enim arterioſus extravaſatus & expoſitus non minus friget quam venoſus, nec tamen nigreſcit ut venoſus.

Ex hoc deniq; experimento colligi poteſt diſtillationem non eſſe medium ſatis commodum quo cujuſpiam rei principia inveſtigentur ſi verum eſt quod ait Vin-
Vin.p.75. dicator, Williſiana *principia eâdem omnino proportione ex utroque* ſanguine per diſtillationem elici. Cum enim ex coloris & conſiſtentiæ in utroque ſanguine diverſitate manifeſtum ſit alterum abaltero non parum differre, propterea q; *Williſii* principia eandem proportionem in utroq; non obtinere, neceſſario ſequitur alterutrum in diſtillatione

diſtillatione inſignem ſubiiſſe alterationem quam alter non ſubiverit, adeoq; verendum eſſe, quod & Author Examinis *p.* 84. præmonuit, ne chymica corporum principia in infinitum excreſcant, ſi eorum numerus æſtimetur ſecundum diverſitatem ſaporis, coloris, conſiſtentiæ, aliarumq; mutationum quas ab igne patiuntur. Sed hæc in parergo.

Sed procedit ille ab ὅτι ad διότι, ut quatuor humores non tantum ſanguini ineſſe, ſed ita factum oportuiſſe, nec aliter fieri potuiſſe oſtendat. Vin. p. 76.

Examaminator ex duobus capitibus rectè probat ſanguinem debere eſſe heterogeneum, non omnino homogeneum, 1° Ex diverſitate alimentorum quibus veſcimur, quæ cum ſint multiplicis naturæ ab eodem agente in compoſitum omnino homogeneum mutari nequeunt. 2° Ex diverſitate partium nutriendarum, quæ cum ſint multiplicis naturæ ac temperiei

riei, alimentum ſimiliter multiplicis naturæ ac temperamenti poſtulant, ac propterea ſanguinem qui totius eſt commune alimentum, heterogeneum non homogeneum eſſe debere. Quod autem hinc præciſè oſtendere voluerit ſanguinem ex quatuor humoribus eſſe compoſitum Impoſtura eſt Vindicatoris: ſed quum duobus illis argumentis probaſſet ſanguinem diverſis partibus conſtare debere, tranſivit ad experimentum *Hippocratis* quo probatur diverſas illas ſanguinis partes eſſe quatuor humores ut ex expreſſis ejus verbis patet *p.* 88. ubi habet. *Porro quod ejuſmodi ſanguinis partes ſint quatuor vulgo dicti humores* Hippocratis *experimento manifeſtum eſt.* Proinde imperite urget Medicus Oxonienſis, *Etiamſi concederetur ſanguinem non eſſe homogeneum, inde tamen non ſequi illum conſtare quatuor humoribus, niſi oſtendatur plantis & vegetabilibus quibus animalia veſcuntur, necnon animalium partibus*

Vin. p. 77.

partibus ſolidis quæ nutriuntur quatuor humores ineſſe. Nec minus inepté *miratur* Examinatorem ſeptem planetas & *duodecem Zodiaci ſigna* in ſcenam non advocaſſe. Miratur nempe *Mearam Williſiano* more argumentis diſparatis & impertinentibus non uti.

Attamen quid fiet de experimento veſtro ſi negemus Pharmaca elective purgare?

Experimentum de quo hîc controvertitur eſt *Hippocratis*, qui ideo concludit utramq; bilem & pituitam ſanguini ineſſe quia medicamento plegmagogo epoto pituitam, cholagogo bilem flavam, melanagogo atram excerni experiamur, idq; quovis die ac nocte hyeme ac æſtate contingat: cui omnino neceſſe eſt fidem adhiberi niſi *Hippocratem* falſarium fuiſſe & impoſtorem velimus exiſtimare, qui id quod nullatenus contigerit quovis die ac nocte, hyeme ac æſtate contingere non magis imprudenter quam impudenter aſſeruerit. Re-

Ibid. Reclamat tamen Medici Oxonienſis, *Philoſophia experimentalis quæ in rebus naturalibus attractionem vix ſimilarem, multo minus electivam agnoſcit, ſed omnes motus locales impulſioni rectiùs attribuit, &c.* At Philoſophiam illam nos experimentalem agnoſcimus quæ concluſionibus per experimenta fidem aſtruit non experimentis per concluſiones. Et quum videamus plantarum & vegetabilium non modo diverſis, ſed fortaſſe contraiis facultatibus conſtantium, ideoq; diverſum aut forte contrarium ut creſcant & maturentur, nutrimentum poſtulantium infinitatem in eodem ſolo diverſis ſuccis, ſed indiſtinctis & confuſis imprægnato vegetari & nutriri, quod non poſſet fieri niſi unaquæque planta ſuccum ſibi familiarem & commodum attraheret & alliceret, quæ ratio prohibet ne ſimilem humores determinatos ſeligendi facultatem etiam medicamentis Catharticis attribuamus? præſertim quum promptum

promptum sit observear leucoplegmaticorum pituitam agarico, Ictericorum croceum humorem Rhabarbaro, maniacorum fæculentias atrabiliarias sennâ aut Helleboro feliciter educi, sive id *fiat impulsu, sive vasorum irritatione, seu deniq; sanguinis fusione seu præcipitattone* quemadmodum prolixé & ad tædium, sed citra aliquam ut solet probationem ratiocinatur Medicus Oxonienſis. Quarum ægritudinum quælibet, nisi appropriatis elateriis ejus causa eliminetur, funestum plerumq; sortitur eventum, quemadmodum in infelici chymiatrorum praxi non rarò contingit, qui non observatâ humoris morbifici naturâ aut purgandi oportunitate cuilibet ægro quodlibet pharmacum indifferenter exhibent, quod non potest non fieri, quum sentiant nulla Cathartica agere nisi vel *intestinorum fibras tantum irritando*, vel *ductuum & vasorum ora stimulando*, vel deniq; *intestina vehementius pungendo*

Vin. p. 78, 79.

Vin. p. 79.

gendo, idq; citra ſpecificam quampiam aut particularem determinatum humorem educendi facultatem.

Vin. p. 78. Enim vero inſtat Vindicator, *Ad hunc modum*, per impulſum nempe, *Magnetis & corporum electricorum aliorumq; virtutes melius explicari.* Itane vero? Unde igitur fit, ut ſcobs ferri arenarum cumulo accuraté mixta & interſperſa ad magnetis non tactum tantum, ſed & ſolam viciniam, tanquam Magico quodam incontamento animata ſubitò accurat, ſeq; ab arenis expediat? quis hic impulſum ſuſpicari poſſit? Vel enim impulſus eſſet ex parte magnetis vel ex parte ferri. Non ex parte magnetis, quia ita ferrum ab eo potius fugeret: non ex parte ferri, quia ita magnetem à ſe abigeret. Quid igitur eſt aliud quam attractio, eaq; ſimilaris & elective? illa enim attractio fit vel propter ſympathiam, vel per qualitates occultas vel per atomos Epicuri, quos particultas

culas mavult appellare *Williſianus Terræ-filius*, ut aliquid novi videatur dixiſſe. Sympathiam & qualitates occultas jampridem expunxit tanquam ignorantiæ aſyla. Atomos etiam rejecit *Williſius* Diatr. de Ferm. *cap.* 1. Sed quum difficiles ſcientiarum nodos & ænigmata (quorum hoc fortaſſe non eſt minimum) illos perquam ingenioſe & feliciter extricare fateatur, hîc illos admittere deberet, præſertim quum ſecundum *Williſii* genium, principia ſua ſupponat potius, quam demonſtret Philoſophia Atomiſtica. Verum ſi lubet, vocitentur Particulæ. Magnetis igitur particulæ arenas non attrahunt, ſed ferri ſcobem illis interſperſam ſeligunt & attrahunt: & quid hoc eſt aliud quam electivé attrahere? Fit igitur in rebus naturalibus Attractio Similaris & Electiva invitâ & reclamante Philoſophiâ *Terræfilii* ~~Experimentali~~ Atomiſticâ, quam jamdudum eruditorum omnium ſuffragiis oblivioni ac tenebris damna-

tam Neotericorum quorundam ſpinoſos Logicæ Elenchos & Metaphyſicas ſubtilitates penetrare refugientium ignavia & inertia jam ab inferis revocavit. Cæterum obſervet Lector per Similaritatem attractionis (quicquid intelligat Medicus Oxonienſis) nos ſimilium à rebus ſimilibus attractionem intelligere, non ſimilaritatem diſſimilaritati ſive heterogeneitati oppoſitam.

Vin. p. 80. *Fernelio iraſceris quia ſtatuit humores excrementitios potius quam alimentarios in purgatione excerni: Tu autem potiſſimum alimentarios purgari contendis, cujus rationem innuis quod ſani à Catharſi lædantur. Nimirum in hunc finem Tua Catharſis electiva inſtituitur ut patientum damno & noxâ præcipuè quod utile eſt & alimentarium (prout ipſe ibidem affirmas) educatur.*

Fernelius contendit *Hippocratis* experimento ſæpius memorato non probari humores Catharticis electivis eductos alimentarios eſſe aut

aut è venis excludi: sed excrementitios & è prima regione, quod probat ipsius *Hippocratis* authoritate dicentis sanorum purgationes esse difficiles, quod ideò *Fernelius* ait contingere, quia in sanis non sint humores electivé educibiles, unde pharmaca in partium substantiam agere necesse sit. *Meara* è contra in sanorum Catharsi electiva quando non sunt humores peccantes, etiam humores alimentarios è venis excludi probat eodem medio, nempe quia sani à Catharsi lædunturi, quod non contingeret nisi propter succi alicujus utilis exclusionem. Inutilium enim exclusionem nullum sequeretur damnum: ideo autem sanos lædi, non quia in illis non sint humores electivè educibiles, sed quod justam proportionem nullus eorum notabiliter excedat, unde nec peccent.

Ex hoc discursu inferre conatur Medicus Oxonienſis *Mearam* ideò Catharsin electivam probare, ut

patientum damno & noxâ quod utile eſt & alimentarium excernatur: quod ut aſſequatur multiplicem impoſturam adhibet. Primo ſtatum quæſtionis inter *Fernelium* & *Mearam* adeo non explicat ut ſubticeat, qui erat de ſenſu *Hippocratis*, quâ ratione ſc. ſani à Pharmacis electivis lædantur ſiquando per imprudentiam Cathartica illis exhibeantur. Secundo particulas quaſdam exaggerativas *Mearæ* verbis de ſuo adjicit, cujuſmodi ſunt, *potiſſimùm*, *præcipuè*, ut inſinuaret à Catharticis electivis præcipuè humores alimentarios non inutiles purgari: cum manifeſtum ſit tum *Fernelium* tum *Mearam* loqui de Catharticis perperam exhibitis abſq; neceſſitate, quando humores non peccant. Tertio poſtquam mentitus eſſet in hunc finem Catharſin electivam à *Meara* inſtitui, ut patientum damno & noxâ quod utile eſt excernatur, addit intra parentheſin (prout ipſe ibidem affirmas) ut

lectori

lectori imponat *Mearam* id ipſum ſponté fateri. Quarto ſanorum Catharſin infelicem *Mearanum* eſſe inſtitutum latenter inſinuat, quum tamen manifeſtum ſit nec *Fernelium* nec *Mearam* aliquid omnino inſtituere, ſed ex quorundam errore ab *Hippocrate* notato verum *Hippocratis* velle eruere ſenſum quamvis uterq; ex verbis *Hippocratis* contrarium menti alterius ſenſum eliciant. Tandem ex his ingeniosè colligit Vindicator *Fernelio Mearam* iraſci, quia ſc. rationes ejus oppugnat: nimirum ſibi conſcius eſt quo animo ſit erga illos quos refellendos ſuſcipit.

Certé Tui hîc multum oblitus es Mearæ: *præſtiterat enim quatuor humores potius quam pharmaciam tuam corruiſſe.* *Vin. p. 81.*

Hîc Medicus Oxonienſis *Terræfilium* agit extra ſuggeſtum Jocu- *Vin. Ib.* lare. Sed Jocus eſt inſulſus, aptiorq; ſanam movere quam riſum.

Quod Tu in affectu œdematoſo & leucophlegmatia pituitam, nos

multo rectiùs ſerum ſanguinis ſuperfluum appellamus: & pag. ſequente. *Quod vero cutis in Ictero flavâ bile tingitur, quis neſcit humorem iſtum, non Tuum alimentarium, ſed ipſiſſimam bilem eſſe quæ cyſti felleæ & inteſtinis deſtinatur? ab illis tamen propter Porum biliarium aut ductum communem obſtructum in ſanguinem regurgitat.*

Vos multo rectiùs? immo multo ineptius: Vis te doceam *Terræ-fili* quod *Tyrones* omnes norunt, ſolus Medicus Oxonienſis & profeſſor *Sidleianus* ignorant. In œdematoſo tumore pars affecta digito compreſſa foveam retinet poſt ablatum digitum: In ſeroſo tumore minimé. Leucophlegmatia autem univerſale eſt œdema, quod ubicunq; digito comprimitur foveam retinet, & cauſam agnoſcit pituitam, quemadmodum Aſcites ſerum. Vidit nuper Clariſſimus D. *Whitwellus* Medicus Sarisbirienſis ſcapulas viri nobilis veſicatorio admoto materiam lentam & pellucidam

cidam, ovi albumini simillimam, vesicâ ruptâ effudisse; hîc Tu serum rectius quam pituitam agnosceres?

Quæris, *Quis nesciat bilem flavam quæ cutim in Ictero tingit ipsissimam esse bilem cystidi felleæ destinatam, non illam* Mearæ *alimentariam?* Immo quis nescit eandem bilem quæ cutim in Ictero tingit illam esse *Mearæ* alimentariam, quæ tamen nimiâ copiâ collecta & reliquæ massæ non proportionata, vel etiam putrescens, alimentaris esse disinit, & non tantum inutilis sed etiam noxia evadit? Quis nescit eandem bilem citra pori biliarii aut ductus communis obstructionem croceo colore sanguinem & cutim inficere, ut contingit in illis Ictericis quorum fæces alvinæ bile saturantur, in febribus putridis biliosis Ictterum criticum aut symptomaticum accersentibus, in veneno assumpto, in quorundum animalium venenatorum morsu, in quibus totus sanguis bilescit. *Vin. p. 82.*

Vin.p.82. Quæris iterum ob quam rationem, *Icterum: vulgo atrum dictum, à bile atra proficiſci innuat* Meara *quaſi melancholia unquam hunc morbum produxerit?* hoccine quæris *Tetræ-fili?* Atqui relictis parumper furnulis conſule obſecro probos Authores *Riverium, Hollerium, Foreſtum, Rondeletium* & quotquot de morbis infimi ventris ſcripſerunt, qui omnes uno ore teſtantur Icterum nigrum non ſemper à bile aduſtâ, ſed aliquando à liene humorem melancholicum non expurgante proficiſci. Præterea, ſi quid in Anatomicis ſapis, reſponde qui impedit quo minus obſtructo Ramo Portæ ſplenico fæces melancholicæ ſanguini miſceantur & Icterum nigrum producant.

Vin p.83. *Quod ad varios ſudorum colores ſc. flavos, nigros, virides, cæruleos, &c. illi humores tuos neutiquam probant, cum potius exinde contrarium evincatur: namq; hinc conſtat interdum particulas heterogeneas*

as ſanguini miſceri, quæ nullo modo ad bilem alterutram vel pituitam referri debent.

At unde contrarium evincitur? nullam enim probationem adducis in prolixo plurium paginarum diſcurſu, niſi quod dicas, aliquem profecto *haud ægré conjicere* ejuſmodi tincturas ſalibus diverſis ſuam originem debere. At bone vir, *conjecturam* adferre non eſt *evincere*: & nos multo probabiliorem *conjecturam* ſi non *Demonſtrationem* adducimus, quam & in Examine attulit *Meara*. Nimirum ſudores, qui ſerum ſunt à ſanguinis vehiculo reliquum, humorum, qui in ſanguine magis eminent, tincturam æmulari: In ſanguine autem non raro eminere bilem flavam, atram, viridem cæruleam, &c. ergo ſudores earum tincturam non rarò æmulari. Major clariſſima eſt, eamq; tu ſilentio faſſus es. Minoris veritati atteſtantur cum excretiones in febribus criticæ & ſymptomaticæ ejuſmodi tincturas referentes,

referentes, tum maculæ virides nigræ, violaceæ, purpureæ in cute efflorescentes, tum tumores præternaturales in habitu corporis erumpentes phlegmonosi, œdæmata, erefipelata, cancri & mixti tum maximè ſanguis in febribus, ſcurbuto, Ictero, ſcabie aliiſq; morbis cachochymicis venâ ſectâ extractus qui eoſdem colores conſpectui multoties exhibet. Quæ quum quotidianâ autopſiâ lippis & tanſoribus non poſſint non eſſe notiſſima, quid aliud lucratur Medicus Oxonienſis furnulariam ſpiritus fuliginis, ſalis armoniaci, vitriolici Philoſophiam tam ſupercilioſo proœmio in ſcenam advocando, niſi ut teſtatum faciat ſe, dum de longinquo Lynceus videri vult, in propinquis & obviis plané cæcutire?

Vin. p 85. *Certé experientiâ conſtat ſalem armoniacum vitriolico adjunctum liquores tinctură modo praſſinâ modo cæruleâ inficere. Nec minus conſtat ejuſmodi ſalibus, nempe uno ſan-*

ſanguinem ac altero ſuccum nervoſum ſaturari.

Paulo antea dixiſti non abs re eſſe conjicere, nunc conſtare ais ejuſmodi ſalium altero ſanguinem altero ſuccum nervoſum ſaturari. Tibi ſc. idem ſonant conjicere & conſtare. At unde conſtat? *Socratico* ſc. illo αὐτὸς ἔφα. Verum de ipſo ſucco nervoſo nondum conſtitit, nec conſtabit. Sed quum colorum in ſudore varietas diverſis humorum in ſanguine extracto, in excretionibus criticis & ſymptomaticis, quos videmus coloribus ad amuſſim reſpondeant, quid opus eſt ad ſalem vitriolicum vel armoniacum quem non videmus, ad ſuccum nervoſum quem fictitium eſſe omnes prudentes norunt, recurrere?

At *Meara* reprehenditur quod colores ejuſmodi ad *ſingularem coctionis Idæam* retulerit: retulit ſanè; idq; meritó, ſi verum eſt quod tu aſſeruiſti, nempe *bilem flavam ſanguini & ſero incoctam* *Vin. p. 84.*

non

non ampliùs flavam esse, sed colorem saturatiorem, hoc est nigrum acquirere. Si enim per ulteriorem coctionem, à flavo qui parum ab albo distat, ad nigrum colorem, hoc est ab uno ad aliud extremum fiat progressus, oportet ut fiat per media: medii autem inter album colorem qui est à pituita & nigrum qui ab humore melancholico, sunt flavi, virides, rubri, cærulei, glastei. Cui si addas non solam coctionem sed aliorum humorum miscelam (quam *Meara* p. 93. addidit, Tu hîc fraudulenter omisisti) ad ejusmodi colorum productionem concurrere, res erit explicatior. Avicenna 1 *Cant. Tract.* 2. quatuor primas coloris in sudore differentias enarrat, & quatuor humoribus adaptat: album nempe pituitæ, rubrum sanguini, flavum bili flavæ, nigrum atræ: intermedios cuilibet Medico pro varia humorum miscela investigandos reliquit, in quibus antiquorum tam accurata fuit industria, ut ad explorandam humo-

rum

rum in corpore miſcelam ſtrigilibus corraderent, & linteis exciperent exercentium in palæſtris ſudores teſte *Galeno* 10. Simpl. Medic. & 4. de ſanitate tuenda, c. 4. ſed quid te *Galeno* & Avicennâ moror qui ad nihil ſupra fuliginem & foiles aſpiras, qui nullos Authores æſtimas niſi forte *Paracelſum* quem non intelligis, aut *Helmontium* cujus in te *Theſſalicus* procacitatis & arrogantiæ genius quâdam quaſi μεσεμψυχάσει, revixit.

Cæterum ſolam coctionis Idæam citra rei alicujus adventitiæ miſcelam coloribus mutandis ſufficere facile evinci poteſt ex triplici concoctionis ſpecie, maturatione ſc. elixatione, & aſſatione. Inter maturandum fructus arborei diverſas acquirunt colorum mutationes. Ita baccæ σηλυκεχνίας ſeu cornus fœminæ primò albeſcunt, tum pulchrè vireſcunt, poſtea perfectè rubeſcunt, tandemq; nigerrimè ſplendeſcunt: Elixatio decoctis herbarum, aliorumq; vegetabilium

um pro diuturniore mora & intenſione multiplicem inducit colorum varietatem, ut patet in confectione ſanguinis cichorei: quod & inter aſſandum contingit, ut videre eſt in celebri illo pigmento cyaneo, quod ad ignem aliquandiù detentum in rubrum tranſit.

Vin. p. 87. *Quis autem unquam vidit tali ſudore alterutram bilem aut pituitam poris cutaneis emiſſam?*

Reducamus hanc Medici Oxonienſis rationem in formam ſyllogiſticam: quæſtio eſt autem an ex ſudoribus coloratis ſymptomaticis aut criticis alterutrius bilis aut pituitæ in vaſis majoribus exiſtentia probari poſſit. Sic igitur pro illo argumentor. Si alterutra bilis vel pituita vaſis ineſſet, aliquando cum ſudore emitterentur poris cutameis: at nunquam viſa ſunt emitti poris cutaneis. Siccine diſputatur in aulâ *Sidleiana*? pari jure liceat & mihi ita argumentari. Si ſanguis vaſis ineſſet, aliquando

do cum ſudore poris cutaneis emitteretur : at nunquam viſus fuit ſanguis poris cutaneis emitti. Viſus autem fuit ſanguineus ſudor, ſed rariſſimè, bilioſus autem & pituitoſus frequentiſſimé.

Sed quid humores iſti quos conſtat merè excrementitios eſſe ad Tuos quatuor humores ſanguinem ipſum conſtituentes? Vin. p. 86.

Quæſtio eſt an humores colorati, bilis videlicet flava, atra, vitellina, porracea, æruginoſa, glaſtea, in excretionibus febrium continuarum criticis aut ſymptomaticis è vaſis majoribus excernantur & ſint febrium continuarum cauſa conjuncta : affirmavit Examinator, & hoc ſyllogiſmo probavit. Quod ritè eductum febrim continuam ſolvit, & retentum vel cum indebitis circumſtantiis eductum, ægrum interimit, febris cauſa conjuncta dicenda eſt : at dicti humores id faciunt: ergo ſunt febrium cauſæ: febrium autem continuarum cauſam intra vaſa majora ſtabulari fatetur

fatetur *Williſius*: ergo fateri debet dictos humores intra vaſa majora ſtabulari.

Huic argumento tergum obvertit Medicus Oxonienſis (ad ſyllogiſmum enim non aliter quam viſum pallet ad anguem) & quærit quid humores iſti quos conſtat meré excrementitios eſſe ad quatuor humores ſanguinem conſtituentes. At *Williſianus* iſte hiſtrio ſemper ſaltat extra Orcheſtram. Quæſtio hîc non erat de ſtatu ſano ſed de ſtatu morboſo. Quatuor humores in ſtatu ſano vaſis majoribus ineſſe antea probaverat Author Examinis: hîc illos ſanguini in ſtatu morboſo ineſſe contendit, ut conſtat ex Exam. *p.* 92. ubi dicit, nec tantum in ſtatu ſano, ſed etiam morboſo &c. quæ verba Tu ipſe *Terræ-fili* p. 81. recitaſti, nec tamen te jam pudet ſtatum quæſtionis invertere. Diſce autem humores qui ante febrim erant alimentares, in febre non amplius alimentares eſſe, ſed noxios

&

& excrementitios, cum vel debitam proportionem inter se non servent, vel putrescant.

Hactenus de sanguine cui dignitatem suam, honestos natales, primogenituram, & hæmatoseos munus vel invito Meara *asseruimus, tum eluimus humores excrementitios & sordes istas quibus ille liquorem ejus infecerat.* Vin. p. 88.

Ferunt pictorem quendam imperitum quum multa animalia tam deformiter pinxisset ut unum ab altero dignosci posse desperaret, singulis epigraphas apposuisse quibus distinguerentur. Idem propemodum Medico Oxonienſi accidit, qui cum multa mendaciter & impostoriè, nonnulla impertinenter, plurima ignoranter consarcinasset in vindicatione *Willisianâ*, nec nisi ex capitum titulis quid potissimum intenderet satis expediri posset, de eruditorum applausu desperabundus, ut Lectoribus saltem vulgaribus impone-

ret, frontem perfricat & Thraſonicâ jactantiâ ſe ſanguini dignitatem, honeſtos natales, primogenituram, facultatem ſanguificam &c. reſtituiſſe audacter profitetur.

CAP.

CAP: VIII.

Animadverſiones in Digreſſionem de natura ſanguinis. Harvæus *à Vindicatore malè defenſus.*

IN hac de natura ſanguinis prolixa octodecim paginarum digreſſione, præter viginti ſeptem aut circiter ſolæciſmos, nihil omnino occurit animadverſione dignum, niſi in ſcopum authoris introſpicere velimus, qui triplex eſſe poteſt: primò, ut tot paginarum acceſſu liber, quem propter difficultates quaſq; graviores abſq; reſponſo dimiſſas, perexiguum fore neceſſe erat, in molem aliquam excreſceret. Secundò ut non omnino incaſſum, ſed in aliquas ſaltem quiſquilias, erogari appareret ſalarium Sidleianum. Tertio ut, quemadmodum ſepia atramentum fundendo aquam turbat & piſcatorem leudit, ita lectoris attentionem

verborum multiplicitate rerum vacuâ obrutam Vindicator imperceptus effugiat, ne fides de *Harvæo* vindicando data repeteretur. Sed fruſtra: Nos enim illum elabi non patiemur, ſed voti reum quocunq; effugerit perſequemur.

Clariſſimus Harvæus *ſanguini ex aliis partibus principatum detulit,*
Vin. p 89. *eo quod proprietatem quam in parte principe* Ariſtoteles *requirit, ipſi conveniret, nempe quod ſit partim ſimilaris, partim diſſimilaris conſtitutionis.*

Atqui optime *Terræ-fili*, *Harvæus* aliquid amplius ex *Ariſtotele* addidit, nempe quod ſanguis ſit
Harv Exer.51 p 202. ſimplex ſive ſimilaris, ut omnium ſenſibilium ſit capax, & diſſimilaris, ut moveat & agat: addit paulo poſt, ſanguinem in venis ſimilaris eſſe conſtitutionis, extravaſatum & calore naturali exutum, diſſimilarem eſſe & in diverſas partes abire: hinc concluſit Author Examinis, ſanguinem ex *Harvæo* tunc ſolum

ſolum motus Authorem eſſe, cum calorem nativum exuit, & corrumpitur, cum non moveat aut agat niſi ſit diſſimilaris: diſſimilaris autem non ſit niſi quando extravaſatur, corrumpitur & calorem nativum exuit: hæc autem eſt abſurditas, quam ab *Harvæo* ſi potes eluere debes, quod tamen ſupprimis ut lectori fucum facias.

Hoc Meara *pro more & captu ſuo quod non intelligit deriſioni habuit, at vero ſanguinem ejuſmodi liquorem eſſe, experimento ſuperius conſtat, utpote qui idem numero manens ſi arteriis extrahatur totus homogeneus, è venâ autem exceptus heterogeneus videtur.* Vin. illit.

Quam inſcrutabilia ſunt hæc myſteria? quæ non mirum eſt ſi *Meara* non intelligat: Pro more tamen & captu ſuo tergiverſationem tuam intelligit, & deriſioni habet; intelligit nempe experimento illo tuo nullatenus probari ſanguinem eſſe diſſimilarem, niſi probetur il-

lum conſtare partibus non confuſis, ſed diſtinctis & ſolidis, cum alioqui rationem organi habere non poſſit. Intelligit te non ntelligere per *Diſſimilarem* hic intelligi debere, non ſimpliciter heterogeneum, ſed organicum. Intelligit te non intelligere partem organicam ut motus ſit inſtrumentum debere conſtare partibus actu diſtinctis, determinatamq; conformationem ac figuram habentibus, quod de ſanguine dici non poteſt. Intelligit te non intelligere in verbis *Harvæi* eſſe contradictionem, vel ſaltem in tuis, dum ais ſanguinem eundem numero manentem ſimilarem eſſe, & diſſimilarem, ſi per homogeneum & heterogeneum, ſimilare & diſſimilare intelligas: ſimilare enim & diſſimilare contradictoriè opponuntur, nec ſufficit dicere aliquid poſſe eſſe reverà heterogeneum quod ad ſenſum ſit homogeneum: hoc enim ad motum non ſufficere ſed actualem diſſimilaritatem requiri ſæpius

monuimus:

monuimus: de dissimilaritate autem ad motum necessaria *hîc* controvertitur. Intelligit te non intelligere ex verbis *Harvæi* hoc absurdi sequi, sanguinem nempe solum venosum debere statui motus, arteriosum, sensus organum, cum hic sit ex *Harvæo* similaris, ille dissimilaris. Intelligit denique, te horum omnium in examine monitum, difficultatem supprimere, & longâ digressione interpositâ è conspectu subducere velle, ne *Harvæi* errorem, tuamq; impudentiam fateri cogaris.

Perge tamen *Terræ-fili*, & in fisci sanguinei venoso & arterioso ærario *Willisiano* ludibria ostentui expone; receptores & distributores constitue, reditus & impendia ad calculũ revoca, & vectigalia colligе. chylũ tamen venis mesaraicis & hepati restitue, quibus illum jure deberi, irrefragabili Billsñ Experimento supra evicimus, in digressionali progressu ad controversiam nostram non attinente nullam

à me interruptionem experturus, donec phænomeni de sanguinis similaritate & dissimilaritate rationem reddideris.

Vin p. 106 *Adhuc restat ut experimentis supra traditis, quibus sanguis juxta* Harveum *similaris & dissimilaris traditur, rationem subjungerem: verum hanc, quoniam à sanguinis in corde accensione plurimum dependet, paulo inferius, ubi de sanguinis incendio dicetur, adjiciemus.*

Quid? post octodecem paginas hujus litis occasione non sine tædio emensas, alia adhuc impendet digressio: *Et in tergo nondum finitus Orestes?*

CAP.

CAP. IX.

Willisiana *sanguinis accensio & fermentatio malè defensa. Duos in vivente dari calores. Inconcinna* vindicatoris *Antithesis & Analogia. Terminorum abusus cur in* Willisio *non in* Cartesio *repræhendendus. Motum Fermentationis lentum esse, non concitatum. Fermentationem fieri à frigore calori præpollente. Per illam partium temperiem non rectè exprimi.* Kergeri *de* Willisio *Elogia.*

SUb initio hujus capitis vir egregius non sine causa Willisio *indignatur, nimirum quia effervescentiæ & orgasmi febrilis causas deducat, non à sanguinis heterogeneitate, sed à* δυσνοήτοις *ignis Cartesiani & fermenti Hogelandici vocabulis.* Vin. p. 107

Sub initium hujus capitis (quod ab egregio Solæcismo egregius *Terræ filius* auspicatur) falsum est

Mearam

Mearam ideo *Williſio* indignari, quia febrilem efferveſcentiam ab igne Carteſiano aut fermento deducat, quamvis tritos & uſitatos ſcientiarum terminos abſq; fructu mutandos non exiſtimet, ſed quod eadem ad calidi Innati naturam exprimendam ſupinâ ἀκυρολογίᾳ traducat. Fatetur enim, immo expreſſis aſſerit verbis in omni febre calorem Igneum, in pleriſque etiam, præſertim intermittentibus, aliquam fermentationis rationem conſpici.

*Vin.p.*108 *An riſum teneatis amici? profecto hi duo calores videntur tanquam bini Manichæorum genii in homine cohabitantes, quorum quum priorem cæleſtem dixerit, miror eum, non appellaſſe alterum infernalem, nam & ipſa ſuadebat antitheſeos concinnitas, tum & hoc unum deerat ad complendam analogiam inter micro & macrocoſmum.*

Duos in vivente calores, diverſos quidem, non tamen tanquam binos Manichæorum Genios adver-

ſos

ſos, ſed familiares & ſubordinatos Philoſophi præſtantiſſimi agnoſcunt. Quorum alterum, Elementarem ſc. etiam in morte ſuperſtitem, utpote formam mixtionis conſequentem, neminem arbitror negare: alterum vero elevationis ſupra elementa ordinis, vitæq; ut comitem individuum, ita eidem morienti commorientem, quem quidam æthereum ſive cæleſtem, alii calidum Innatum ſive primigenium, diverſis verbis eodem ſenſu dicere malunt, viventibus ineſſe hoc *Scaligeri* argumento promptum eſt aſtruere.

Ubicunq; nobiliores operationes inveniuntur quam quæ à ſolis elementis oriri poſſunt, ibi principium aliquod Elementis excellentius ineſſe neceſſe eſt. Nihil enim cuipiam rei poteſt ineſſe quod non fuerit in ejus principiis. At in viventibus ejuſmodi operationes reperiuntur, cujuſmodi ſunt in plantis vegetatio, in animalibus voluntarius motus, *&c.* quæ ab elementis

elementis nequeunt procedere : Ergo ab altiore principio, quod nullum aliud eſt quam calidum Innatum. Nec ſufficit reſpondere Animam immediaté ejuſmodi actiones exerere, quippe quæ, cum ſit ſubſtantia, non poteſt agere niſi qualitatum interventu, & ex materia non niſi convenienter diſpoſita educi poteſt. Nec poteſt dici ejuſmodi diſpoſitiones à ſolis elementis eorumve virtutibus produci poſſe : inde enim ſequeretur illas diſpoſitiones, immo animam reperiri, ubicumq; elementa reriuntur.

Hic autem advertendum eſt, per elementa non ſolum quatuor *Ariſtotelica*, ſed & *Epicuri* Atomos, & Chymicorum triadem, immo ſi lubet & *Williſii* pentadem intelligi debere : perinde enim eſt ad hanc controverſiam de quibus loquantur, cum per ejuſmodi principia mixtorum partes componentes intelligantur, licet non eodem modo

modo exprimantur; nec ab illis, quocunq; nomine cenſeantur, dictæ operationes oriri poſſint, quamvis *Williſius* vegetationem ſaltem nunc à ſale, nunc à ſulphure, nunc à ſpiritu deducat, quod gratis & ſine ulla, ut ſolet, probatione facit: & falſo dici quis non videt, cum inde ut diximus ſequeretur, omnia mixta vegetari, cum omnibus mixtis *Williſii* principia ineſſe ſupponantur.

Præterea obſervandum eſt per calorem æthereum ſine innatum, non nudam qualitatem ſed concretum ex qualitate & ſubſtantia, nec nudum calorem, ſed plurium qualitatum, inter quas calor emineat, complexionem intelligi debere.

Deniq; ut omnem Medico Oxonienſi cavillandi anſam præſcindam, monendum duxi, me, cum de Animæ ex materiæ potentia eductione loquor, rationalem excludere, quæ quamvis à Deo immediaté infundatur, materiam tamen prædiſpoſitam non minus quam aliæ requirit. Huic

Huic argumento postquam satisfecerit Medicus Oxonienſis tempeſtivum erit riſum amicis concedere. Interim permittat nobis inconcinnam ejus antitheſin ridere, diſcatq; in Theologicis Infernalia Cœleſtibus, in phyſicis Elementaria concinnius ἀντιθεῖναι inq; Micro & Macrocoſmi Analogia, alterum membrum non vivens in communi, ſed ſolum hominem comprehendere, ne ignoret ſe non minus infeliciter antitheſin quam analogiam inſtituiſſe.

Calori huic Innato ſive Primigenio omnia foventi, vivificanti, conſervanti inimicus eſt febrilis omnia devaſtans ac depopulans, qui adeo non cohabitant tanquam bini Manichæorum Genii, ut potius ſe mutuo expellant, neq; hic homini inſit, niſi quando à cauſis præternaturalibus generatur, ut Medico Oxonienſi applaudendum ſit tam ingenioſé criminanti *Mearam* quia non oſtendit, *Quis ignei iſtius caloris fons ſit, ac ubinam de-*

Vin. p. 108,109.

liteſca

liteſcat, cum interdum & non per-petuo febrim ſuſcitet.

Hunc *Meara* per ignem Carteſianum, ac forte per fermentum Hogelandicum non incommodé exprimi poſſe conceſſit, priorem minimé, ſine inſigni Terminorum abuſu: quem tamen in *Williſio*, non in Carteſio reprehendendum cenſuit, propterea quod *Williſii* ſcopus debuerit eſſe ſolidam & rigidam Philoſophiam in Academia Oxonienſi diſcentibus proponere, Carteſii ſcopus fuerit Philoſophiam à ſcholis ad Aulam, immo ad fœminas transferre, non ſolidam & auſteram, cujus Aulici ſunt impatientes, ſed facilem & delinientem, quam idcirco ad Palatinorum captum vulgari Gallis Idiomate gratiorem, Metaphoriciſq; pigmentis elegantiorem exhibuit. Hujus viri tam illuſtris te Medicum Oxonienſem ſuſcipere patrocinnum? *Terræ-filium* Herois? Huic Soli ex tuo Noctilucæ igne fatuo quidquam ſplendoris accreſcere?

ſcere? An ignoras ab illaudato viro laudari non laudem eſſe ſed vituperium? Tu vero ideo tantum Carteſii honorem, quem Examinator non aggreditur, propugnare ſimulas, ut *Mearam* calumniandi anſam undecunq; arriperes. Sed perge.

Vin. p 109 *Maxima interim* Willisio *procella impendet quia calidum Innatum, modo per ignem in cordis foco reconditum, paulo poſt, immo eodem fere halitu, perfermentum expreſſit.*

Et quid ni impendeat, cum in omni igne, certé iu cordis foco, calor frigori, in fermento frigus calori præpolleat? at *Hogelandus ejuſmodi fermentum intellexit cujus effectus cernitur in effervescentia ſpiritus nitri cum butyro Antimonii mixti.* Hogelandum ais. Quem genus, unde domo? Quid ſi ita intellexit, cum luce meridiana clarius conſtet illum erraſſe?

Vin p.110 *Nullamne fermentationem admittis niſi ab acido, idq; frigore præpollente?*

Meara

Meara nullam prorſus admittit niſi ab acidis, idque præpollente frigore, quam aſſertionem munivit præcipuarum, quæ in communi uſu occurrunt, fermentationum inductione, cujuſmodi ſunt Panificium, Cereviſiæ confectio, & vini fermentatio; quæ omnia à principio acido fermenteſcere, fermento ſc. propriè dicto ac Tartaro, tam notum eſt, quàm quod notiſſimum: quod quum tu negare non poſſes, diſſimulare fraudulenter maluiſti, quam candidè fateri, addidit *Meara* ex *Hippocrate*, quod & æquè notum eſt, bilem atram in terram effuſam fermenteſcere, quod etiam fit ab aceto; à quibus quædam terræ partes ſurſum feruntur, ex iiſque compoſitum quoddam fit, ex terræ ſc. ſubſtantia, aceti vel bilis humiditate, & vaporoſo ſpiritu. In his levem fervorem contingere neceſſe eſt, ut pars ſpirituoſa motionem nacta, tumorem acquirat. Unde concludit *Galenus*, fermen- *Conc. 2. in 1. pro. t. 40.*

tationis motum debere eſſe lentum, & languidum, quo corpus in tumorem leniter attollitur, conceptoque ſpiritu turgeſcit ac diſtenditur, quod & ex Platone fermentationem in Timæo deſcribente conſtat, ubi dicit, res fermentum concepturas, priùs à putredine attenuari, deinde in anguſtas venas ingredi, parteſque interiores terrenas & aëreas commiſceri, quas alterationes ab aciditate fieri concludit. Cum agitur ad fermentationem prævia putredo ad partium rarefactionem, deinde mixtio requiratur, in qua multiplex elementorum actio & reactio contingit, perſpicuum eſt fermentationem debere eſſe motum lentum & languidum: lentum, quia prævia putredo non niſi tempore effatu digno fieri poteſt, languidum, quia ex qualitatum non omnino vehementium actione conſtat, cujuſmodi ſunt ſiccitas, humiditas, & frigus cum calore remiſſo. Hinc ſequitur nec fe-

febrem ardentem, nec calorem cordis à quo sanguis funditur, fermentationes esse, propterea quod nimis concitatè ferantur, sicuti nec ebullitionem in elixis, nec effervescentiam in calce viva ad aquæ effusionem, aut in mixtura ex nitri spiritu cum butyro Antimonii.

Certè vina generosa in Cadis ebullientia nihil acidum spirant, & tamen caloris plurimi manifesta indicia exhibent.

Falsum est vina generosa in cadis ebullientia nihil acidum spirare, quæ notum est tartari acidi copia abundare, in quibus tamen manifesta caloris (sed frigori non præpollentis) indicia reperiri *Meara* non negavit: Ex quo Tu audivisti, vinum & cerevisiam, si quando in vasis concipiant (concipiunt autem sæpissimè) calorem frigori præpollentem, Oenopolas & Zythepsarios pro vino vappam, pro cerevisia liquorem fatuum & ingratum, pro fermentatione de-

nique putredinem relaturos: cui periculo ut antevertant, cereviſiam & muſtum, non niſi actu frigida, & in loco impensè frigido reponunt, ut fermenteſcant. Ex eodem Tu diſcere potuiſti tantam flatuum ex valido frigore, remiſſo calore, naſcentium copiam inter fermentandum excitari ut vaſa juſto diligentius obturata diſſilire faciant. Diſcere potuiſti vinum & cereviſiam quo diutius in vitreis aut lapideis lagenis fermentantur, eò frigidiora inter bibendum ſentiri. Quibus cum Tu nihil reſpondeas, ego infero fermentationem quæ in frigus deſinit, frigoris præcipuè ſobolem dicendam eſſe, cum actio ſpecificetur a termino. Hæc cum Tu in Examine non potueris non videre, eo tamen impudentiæ proceſſiſti, ut dixeris *Mearam* quicquid ipſi placet, *Nudè*, id eſt, ſine probatione affirmâſſe, & *quicquid ab aliis in contrarium dicitur, fortiter negâſſe.*

Eâdem

Eâdem impudentiâ fingit Terræ-filius *Mearam* in calce hujus capitis fateri *liquorum mineralium effervescentias fermenti ignei sobolem esse*, cum è contra expressis asseruerit verbis fermentationem in illis non conspici, aliam quàm quæ in elixorum ebullitione, in Titionis ardentis, aut ferri candentis aquæ immersorum strepitu contingit, in quibus aliquam fermentationis rationem conspici nemo dixerit. *Vind.* p. 110.

Ipse autem ejusmodi fervores & agitationes, in quibus tamen idem particularum tumentium motus, idem intestinus impetus qui in ζυμωσι panis, cereviſiæ, vini deprehenditur, ne fermentationis sobolem esse concedas, illos refers non in fugam, sed in pugnam contrariarum qualitatum. *Vind.* p. 112.

Mendacem oporteret esse memorem. Statim Te dicentem audivimus *Mearam* fateri incendium bytyri Antimonii affuso nitri spiritu fermenti ignei sobolem esse.

Nunc eundem illud referre dicis in pugnam contrariarum qualitatum: paulò etiam antea dixisti *Mearam Billichio* succensere, quod calcis vivæ incendium vivum aiat esse fermentationis exemplum, quod meliùs explicari potuerit per *Antiperistasin*, quanquam illud in *Antiperistasin Meara* nullatenus retulerit, ut ex ejus verbis à Te paulò ante citatis patet, sed in pugnam contrariarum qualitatum, non in fugam, quam in *Antiperistasi* intervenire necesse esset. Verum quidem est *Mearam* enervâsse *Billichii* & *Pincieri* rationes contendentium calcis vivæ incendium non fieri per *Antiperistasin*, quamvis ipse *Meara* ejusmodi fervorem in *Antiperistasin* non retulerit.

Vind. p. 111. *At*, inquis tu, *in butyri Antimonii affuso nitri spiritu, in calcis vivæ aquæ immersæ effervescentia idem particularum turgentium motus, idem intestinus impetus conspicitur, qui in fermentatione panis, cerevisiæ, vini.* Im-

Immo vero non idem, ſed multo major turgeſcentiæ motus & impetus, qui in fermentatione panis, cereviſiæ, vini non eſt impetuoſus, ſed lentus & languidus.

Licet mox eodem fere halitu, relictâ hypotheſi tuâ, juxta Williſii *mentem & notiones, in Tractatu de fermentatione expreſſas, rem omnem explices. Nimirum innuis particulas igneas in calce viva ſuperſtites affluentem confertim humorem aggredi, atque in tranſitu ſuo aquam colefacere.* Vind. p. 112.

Mearana hypotheſis, te *nuper* fatente, fuit, calcis vivæ incendium contingere ad affuſionem aquæ *propter pugnam contrariarum qualitatum.* Dic, obſecro, *Terræfili*, ubi illam hypotheſin reliquit? Dixit nempe, *Ignem in calce vivâ ſuperſtitem affluentem confertim humorem aggredi.* Dixit fateor, & quid hoc eſt aliud quam qualitates contrarias pugnare? Ibid.

Non ſapit hoc philoſophiam Mearanam, *ut ſupponatur ignis actua-* Ibid.

lis alicubi ſubſiſtere abſque ignis formâ.

Non ſapit ſanè philoſophiam *Mearanam*, nec cujuſquam alterius qui philoſophiam unquam vel de limine ſalutaverit; at ubi dixit *Meara*, Ignem actualem alicubi ſubſiſtere ſine ignis forma? nullibi: ſed hoc impoſturæ genus vindicatori perquam familiare eſt.

Vind p. 113. *Verùm hoc in loco* Meara *plagiarius è Diatriba* Williſii *calcis vivæ, aliorumque* phænomen*i ſolutiones accepit.*

Si *Meara* eò ſolutionum inopiæ redactus fuit, ut à *Williſio* quidquam mutuare, aut ex ejus Diatriba plagiarius eſſe voluerit, perinde fecit, ac ſi Hircum mulgeret.

Ib. paulo antea. *Licèt eadem exempla, calcis vivæ, nempe incendium, ſalium mineralium invicem commiſſorum efferveſcentia, & aliæ inſtantiæ propter quas in* Billichium *invehitur in* Williſio *occurrant, & ſatis fusè ex-*

explicata fermentationi aſcribantur.

Inſtantiæ de quibus inter *Billichium* & *Mearam* controvertitur, ſunt efferveſcentia calcis vivæ ad aquæ effuſionem, efferveſcentia mixturæ ex ſpiritu nitri & butyro Antimonii, & prodigioſus ignis quem ſacræ literæ primo ſecundi *Machabæor.* ex aqua craſſa ſacrificiis inſperſa ad Solis radios accenſum memorant, quæ omnia adfermentationem *Billichius* refert, *Meara* contradicit: quarum inſtantiarum ne unica quidem vel leviter nominatur à *Williſio* in tractatu de fermentatione, ut ego totam quanta eſt Diatribam emenſus teſtari poſſum, & tu Lector, ſi eandem percurrere vacat & lubet, teſtaberis; ut mirum ſit vindicatorem in ſubjecto cujus falſitas tam facilis eſt detectu, tam ſecurè mentiri. Sed hanc illi mentiendi ſecuritatem facit Diatribæ de fermentatione prolixa rudiſq; & indigeſta moles lectores ne

per-

pergant deterrere nata ; præsertim cum vindicator locum aut paginam notare prudenter omittat.

Vind. p. 112. *Non possum hic non advertere quoddam* Mearæ *calidum quidem, sed pertenue & fallax illud in tractandâ causâ sua artificium. In principio hujus capitis uno cum* Willisio *res erat, procedente lite cum jam cominus de fermentatione agendum erat, evitato* Willisio, Pincierum & Billichium *aggreditur.*

Quæstio in Examinis *cap.* 7. (quod hîc vindicator intelligit) fuit an partium temperies per ignem aut fermentum rectè exprimeretur. *Willisius* dicit, non probat : *Meara* negat, & negandi rationem exhibet, (quod ad fermentum saltem attinet) in eo aciditatem præpollere, ejusque principem esse opificem : in aciditate autem frigus eminere, quod temperiei partium, id est, calido innato exprimendo non conveniat.

Quæ-

Quæſtionem hanc nullibi attingit *Williſius*; attingit autem *Bilichius* & rationibus quibuſdam probare conatur, acidi tatem non eſſe fermentationis opificem, quas diluere *Mearæ* incubuit, unde neceſſe habuit evitato *Williſio* (qui hic omnino filet) ad *Bîllichium* tranſire, & hoc *innocente artificio* cauſam ſuam defendere, *Williſii* eneruare. At, inquit, Vindicator *cum* Williſio *cominus de fermentatione agendum erat.* Sed *Meara* Diatribam de febribus, non de fermentatione oppugnandam ſuſcepit; Difficultatem de fermento & aciditate non niſi incidenter attigit. Doctrinam *Williſii* de fermentatione quam jam *Kergerus* funditus everterat non erat cur attingeret, aut hoſtem jam jacentem conculcaret. Verum ſi tanta Medico Oxonienſi Cupido eſt pro *Williſio* ulterius decernendi, *Kergerum* aggrediatur qui jamdudum *Williſio* non bellum ſed contemptum indixit qui

Mart. (*Kerger. d. ferm. p. p.* 13, 14, 15, 210.

qui *frontem in eo desiderat: qui dissonantias ejus & somnia* exagitat, eiq; identidém exprobat, *quod multa dicat, nihil probet.*

Vind. p. 113. *Quod spectat ad Ignem in Cordis foco reconditum & sanguinem ab eo accensum, quicquid refragatur Meara, hæc sententia clarissimorum virorum* Harvæi, Entii, Carteſii, Willisii, *aliorumq; suffragiis comprobatur.*

Willisius hîc *Se quoq; principibus permixtum agnoscit Achivis*, eademq; cum *magnis famæ nominibus* subsellia audet occupare. Tu vero qui argumentorum á ratione parcissimus es, ad authoritatem quam adversariorum nulli concederes, jam frustra te recipis, at profecto nec *Harvæus* nec *Carteſius Ignem actualem in corde* aut alibi intra hominem accendi unquam existimarunt, sed calorem vivacem & vegetum, quem metaphorico Ignis nomine non incommode exprimi posse crediderunt; eandemq; *Clarissimo Entio* mentem fuisse

fuisse nullatenus dubito, quamvis ejus opera mihi videre nondum contigerit.

CAP. IX.

Animadversio in digressionem de sanguinis accensione.

Calidum Innatum (quicquid per illud intelligat Meara) *ad exprimenda Vitæ munia non sufficere vel hinc constat, quod animalia quædam aquatilia calore quovis actuali destituantur, quibus tamen cor pulsat, sanguis circulatur, aliaq; functionis vitalis officia obeuntur. In calidicribus autem animalibus sanguis dum Cordis ventriculos pertransit, non incalescat tantum, sed ebulliat & rarefactus quasi in flammam erumpat.* & postea *Quid ni vis impressa sanguini qui actu frigidus est, per fermentationem, ac alteri qui calidus est per accensionem optime exprimatur.* Vind p. 114. Vind. p. 115.

Si

Si loco Calidi Innati Calorem elementarem (quem videtur intelligere) dixisset Medicus Oxoniensis, non male forte dixisset illum exprimendis vitæ muniis non sufficere, ideoq; Calorem aliquem excellentioris naturæ necessario admitti debere, cujusmodi nos calidum Innatum agnoscimus. Male autem colligit ex actuali frigiditate sanguinis in quibusdam animalibus aquatilibus per calorem non rectè exprimi vitæ munia, cum videamus calorem virtualem seu potentialem in multis animalibus & plantis præstantiores effectus aliorum calore actuali producere, ideóque illorum calore intensiorem esse. Pisces nempe quorum interanea & sanguis frigent, robore & agilitate multis animalibus terrestribus actu calidis præstant, ingestàque alimenta tam subitò concoquuut ut escam, immo ossa, non multo tardius devorent quam conficiant, quæ non nisi à calore valido proficisci possunt,

ſunt, calore tamen non ſimpliciter elementari, ſed vel altioris ordinis, vel inexplicabili ſaltem aliarum qualitatum complexu elevato. Ita vegetabilia innumera etiam actu frigida, admota tamen aut aſſumpta calorem intolerabilem excitant, & carnem exulcerant, unde male inferretur illa calore non abundare quia actu frigent.

Nec minus incommodé ex eadem actuali ſanguinis in piſcibus frigiditate per fermentationem vitæ munia ſive vim ſanguini impreſſam rectè exprimi colligit. Nam præterquam quod hypotheſi quam hactenus ſuſtinuerat relictâ, & *Williſio* deſerto, fermentationem jam non fervori ſed frigori aſcribendam concedat, etiam Novum *Novæ Medicinæ* principium convellit quo ſtatuitur circulatorius ſanguinis motus ſanguinem ex vena Cana confertim & continuò in cor & arterias tam veloce impetu exonerare ut nullibi

libi moram patiatur, quod eſt contra naturam fermentationis, cujus ſci. motus lentus eſt & languidus, & in qua putredo intervenit, & putredinem mixtio conſequitur, quas alterationes in momentanea ſanguinis per cordis & pulmonum vaſa & ſinus trajectione contingere impoſſibile eſt.

Multo autem ineptius ſentit vim impreſſam ſanguini actu calido per accenſionem rectè exprimi, ſi verum Ignem aut veram accenſionem intelligat, quod clarum eſt illum intelligere dum ait ſanguinem *tanquam carbonem uſtulatum intra ſinum cordis ſiniſtrum in flammam admodum claram accendi:* Vind. p. 117.

Dum objectioni reſpondet regerentium ſanguinem *communis ignis ritu nec candeſcere, nec flammam viſibilem concipere, nec corpus cui ineſt, aliaq; admota conſumere.* Vind. p. 118.

Dum reſpondet *ignem in aperto ardentem fere ſemper ſplendeſcere, In clauſo reverberio & intra ſecretos canales cohibitum obſcurius gliſcere* Vind. p. 119.

glisoere, & salvâ Ignis essentiâ ejusmodi accidentibus carere.

Cæterum nullum ejusmodi Ignem in corde in statu saltem sanitatis recondi Ego sic ostendo. Si Innatus cordis calor esset Ignis, nullus eo daretur in corde calor Intentior: nullus enim calor est supra ignem: At aliquando datur in corde calor Innato intensior, nempe febrilis: Ergo calor cordis Innatus non est Ignis.

Huic Ratiunculæ donec responderit Medicus Oxoniensis, fas sit nobis alteram ejus *digressionem de accensione sanguinis* altera Aulæ Sidleianæ *indibria* prioribus non minus inepta continentem præterire, ejusq; tædio tum nosmet ipsos tum lectores levare, postquam monuerimus Vindicatorem his ambagibus consulto institutis ut absurditatem Harvæo objectam, nec dum vindicatam è conspectu subduceret, adeo nihil profecisse, ut nostram attentionem

hac tergiversatione refricet, efficiatq; ut quo illustrius conclamatam *Harvæi* causam ostendamus, Examinatoris argumentum à Medico Oxoniensi nec solutum nec solvendum ex examinis *pp.* 51.52. huc transferamus, quod est ejusmodi, *Sanguis igitur ex* Harvæo, *similaris est ut omnium sensibilium sit capax, dissimilaris ut moveat & agat: Ergo si* (ut habet Harvæus) *sanguis in venis est similaris, extra venas dissimilaris, in venis erit sensus author, extra venas motus: at quum extra venas ut idem* Harvæus *ait, corrumpatur, & calorem nativum exuat, nec prius sit dissimilaris, quam extravasetur, sequitur sanguinem tum solum motus authorem esse cum corrumpitur & calorem nativum exuit.* Hactenus *Meara*, cui vindicator ne gry quidem reponit.

Harvæus de gener. anim. p. 202.

Idem. p. 103.

CAP

CAP. X.

Willisiana febrilis Interpolationis causa male vindicata.

SI ex Glissonianæ & Harveianæ vindicationis à Medico Oxoniensi malis avibus susceptæ quem vidimus exitu, *Willisianæ* successum animo præsumere velimus, non erit quod in Vindice vel majorem ingenuitatem, vel minorem aut maledicendi licentiam, aut mentiendi libidinem aut quæstionis vel intelligendæ imperitiam vel invertendæ frequentiam expectemus. Sed inter eximias ejus dotes eminet singulare difficultates omnes supprimendi artificium, cujus in ipso hujus capitis limine non contemnendum exhibet specimen. Cum enim author Examinis ex concessione sanctorum circulationis ostendisset morborum ex obstructione pendentium causam esse infarctum

vaſorum quorundam cujus ratione ſanguis in illis nequeat circulari, *& à Pari* intuliſſet viſcerum parenchymata ſimili ab impuris ſuccis infarctui eſſe obnoxia; *Medicus Oxonienſis* nullâ *Illationis à Paritate* rat one habitâ *dicit* Mearam *aſſignare debuiſſe in quo viſcere, utrum in hepate, liene, pulmonibus, aut quonam alio talis ab impuro ſanguine parenchymatis infarctus fieri ſoleat.* Quaſi vero obſtructiones in uno aliquo determinato viſcere ſemper naſci neceſſe ſit, nullus in reliquis. Quod cum pererudite obſervaſſet, ſubjungit *Credere ſe* Mearam *ſtomachi & meſenterii membranas etiam parenchymata appellare.* At quare id credit? Nempe *quia in illis* Mearam *Mineram ſuam febrilem ſæpe collocat.* Atqui hoc falſum eſt. Nunquam enim febris intermittentis mineram in ſtomachi aut meſenterii membranis, collocavit *Meara*: multo minus in *pulmonibus*, quorum affectus, ſi febrim

Vind. p. 128.

Vind. ibid.

accer-

sant, non intermittentem (quod professor Sidleianus ignorat) sed continuam accersunt. Suppone autem collocasse. Quid enim impedit quo minus materia febrilis intra cauitates ventriculi aut mesenterii contineatur? Quid inde conclusum vult Medicus Oxoniensis? nisi ita velit argumentari. *Meara* collocat materiam febrilem in Ventriculo & mesenterio: Ergo ventriculi & mesenterii membranas appellat parenchymata. Ecce Sidleianam Consequentiam!

Verum ut daretur illi sanguinem impurum intra viscerum angustias quandoque infarciri, si tamen iste sanguis ibidem putrescens accendatur & foras ebulliat, an non á tali accensione visceris pori aperientur adeo, ut sanguis utcunq; impurus eos sine infarctu quovis liberè pertranseat? ita ut causa febris, sc. obstructio visceris, unico paroxysmo expediatur. Vind. p 129.

Medicus igiiur Oxonienſis ſolam in humore febrim commitente quantitatem conſiderat, qualitates, craſſitiem ſc. lentorem, viſciditatem & acrimoniam partis cui ineſt temperamentum vitiantem, negligit. poteſt ſané fieri, ut materia febrilis quantacunq; ſit, Si conſiſtentiæ ſit mediocris, lentoriſq; & malignitatis expers, unico acceſſu diffletur. è contra plerumq; repetitis paroxyſmis infarctus adeo non expeditur, ut magis impingatur, partibus tenuioribus in acceſſu diſſipatis, craſſioribus magis incraſſatis, niſi artis operâ humoris obſtruentis craſſities attenuetur, lentor incidatur, malignitas cicuretur, parti primatio affectæ temperies reſtituatur.

Vind. ibid. *Quod ſi majorem ſanguinis impuri copiam, quam ut totus in paroxyſmo febrili penitus diffiari poſſit, alicubi aggeſtam arguas, certe talis materiæ morbificæ Nidus nec fieri nec durare* (ut Williſius innuit) *citra viſceris affecti tumorem*

morem aut abscessum potest.

Tanta est Medici Oxoniensis confidentia, Ignorantiæ Gomes individua, ut omnia ejus effata infallibilia velit existimari. Certe, inquit, talis materiæ morbificæ Nidus (focum vel fomitem dicerent Galenici) qui unico accessu non exhauritur, sine tumore aut abscessu durare non potest. Jam monuimus non ad solam morbifici humoris copiam attendendum esse, sed & ejus naturam & conditionem merèri considerationem, cujus ea nonnunquaam est indoles ut in mole exigua, quæque tumorem nequeat committere, vires possideat tam efficaces ut partis affectæ, tum substantiam vitiare, tum nutrimentum corrumpere soleat, adeoq; febriles accessus identidem inducere, quemadmodum exigua fermenti portio ingentem farinæ massam immutat, & hæc est fermentationis ratio quam in febre intermittente agnoscendam Exa-

minis author non semel insinuavit.

Idem Examinis author dixerat *Willisium* in vivis & spirantibus Exemplis videre & manibus palpare potuisse frequentes hepatis, lienis & ventriculi Tumores, quem ita refellit Medicus Oxoniensis. *Certé plusquam Lyncei oculis opus esset ut quisquam vivi hominis interna viscera visu penetret.* Ignorat scilicet medicaster iste medicorum manus esse oculatas. Eâdem ἀναισθησίαν *Mearam* reprehendit, quia non ex autopsia propria sed ex probatorum authorum fide tumores in defunctorum visceribus inventos fuisse memorat: addidisse debuit, *quorum in vivis nulla fuit suspicio.* quæstio enim erat an rectè colligi posset in visceribus non esse tumores quia non conspiciuntur. Sed statum quæstionis raro intelligit, nunquam attingit Medicus Oxonienſis.

Vind. p. 130.

Sed

Sed quam frivola & inanis hæc tua in Williſium *Cavillatio eſt, quaſi neſciret aut negaret ejuſmodi tumores interdum in febribus intermittentibus accidere.*

Quam mendax & impoſtoria eſt Vindicatoris in *Mearam* Cavillatio ex his ipſius *Williſii* verbis conſtat, *diatribe de febr. p.* 28. *Quod attinet ad Cavitates ſive ſpecus pro Congeſtione humorum in viſceribus, nec conſtat quo ritu ſine tumore aut abſceſſu tales* &c. ubi clarum eſt *Williſium* ideo congeſtiones humorum in viſceribus negare quia in illis non ſint Tumores. Mirum autem non eſt *Williſium* alibi contrarium affirmare, qui (quod erroris proprium eſt) ſibi ipſi raro conſtat. Præterea Medicus Oxonienſis omnino *Mearæ* imponit, qui nuſquam aſſeruit *Williſium* ejuſmodi Tumores negaſſe. Solummodo enim dixit, ſed fortè negabit *Williſius* ejuſmodi Tumores, ut ſcilicet præveniret

reſponſum

reſponſum quod pro *Williſio* poſſet adferri: quæ verba, ideo forte præteriit Medicus Oxonienſis quia non intellexit in quem ſcopum collimarent, ut in Vindicatorem ſuum ipſius telum ego meritó retorqueam ubi dicit, *ſane optandum eſſet ne authorum verba prætereas qui eorum mentem nuſquam aſſequeris.*

Vind. p 131. *Sed cum tumores ſint febris diuturnioris & à medico male tractatæ effectus, & graves in praxi errores plerunque conſequantur, Concedo tibi ut multo frequentius obſervaveris in tua.*

Permulti febribus interpolatis afflicti & à *Williſio*, aliisq; ejus farinæ medicis, graves in praxi errores committentibus præſertim febrifuga intempeſtive adminiſtrantibus, male tractati, coacti fuerunt ad *Mearam* confugere, unde fieri non potuit quin innumeros ejuſmodi Tumores in praxi ſua obſervaverit, quos alii Cœcorum Cœci duces obſervare neſcivcrunt.

At

At vero ſi tumores iſti febrium intermittentium Cauſæ ſunt quid tunc quatuor humores agent: neſcio quomodo inter hos & illos iſtius morbi penſum divides. Vind. p: 132.

Mendacium eſt & impoſtura *Mearam* uſquam dixiſſe tumores viſcerum eſſe cauſas febrium intermittentium: dixit autem ejuſmodi *Tumores manifeſtè indicare morbi cauſam in locis ita Tumentibus, non in chymærico* Williſii *ſucco alibi quærendam eſſe.* Exam p. 107.

Williſium *increpas quod neget humores ſinceros in prima ſaltem regione dari, quod tamen ab illo minime factum eſt.* Vind. p: 132.

Hic dupliciter mentitur Medicus Oxonienſis dicendo *Mearam* increpare Williſium quod neget humores ſynceros in primâ regione: ſolum enim dixit *Si neget.* ſecundo Mentitur negando Wilſium negare humores ſynceros in primâ regione dari. Dixit enim p. 28. de febr. *Quia non dantur ejuſmodi humores ſynceri,*

In

In viſceribus nempe, de quibus eo loci quæſtio erat, ut patet ex ejus verbis paulo ante citatis, quæ ſunt, Quod attinet ad Cavitates ſive ſpecus pro congeſtione humorum in viſceribus. Viſcera autem omnia præter Cor & pulmones ſunt in prima regione: ſed pergamus.

Vind. p. 133. *Hîc novo ſolutionis genere nodum unum ſolvis plures nectendo; An vero putas iſtorum effectuum cauſas prorſus latere, ſemperq; inextricabiles fore. De fluxu muliebri vel mihi promptum eſt conjecturam ſatis probabilem afferre, quoad fluxum & refluxum maris ſi Galilæum, Carteſium aut Gaſſendum legeres, phænomenon iſtud longe melius ſolutum videres*, &c.

Williſio neganti humores in minera privata congeſtos febris intermittentis cauſam eſſe, propterea quod *non conſtet quo inſtinctu illi in focis reconditi ſtata putreſcentiæ, abſumptionis*, & repullulationis tempora obſervent, *Meara* reſponderat non magis conſtare

ſtare quo inſtinctu Oceanus ſtatas acceſſus & receſſus periodos, aut muliebria purgamenta menſtruum circuitum exacté obſervent, Cujuſmodi tamen periodicos recurſus nullum eſſe qui neget quia eorum rationem non eſſet aſſecutus, quod perinde eſt, ac ſi dixiſſet effectus manifeſtos non eſſe negandos quamvis de eorum cauſis non conſtet. Vindicator non intellecta illationis vi facere queritur *Mearam unum nodum ſolvere plures* nectendo; atqui vir doctiſſime inter eruditas id fieri & ſolet & licet. Nec minus facetè quærit an *Meara* ejuſmodi effectuum Cauſas exiſtimat prorſus latere & ſemper fore inextricabiles. Credit ſane ut arbitror *Meara* effectuum ejuſmodi Cauſas adhuc latere, inde tamen non ſequi illas ſemper latituras, ſicuti nec periodos humorum febres intermittentes committentium ſemper fore inextricabiles quamvis nondum ſint extricatæ. Sed vindicatori promptum

tum est fluxus muliebris conjecturam satis probabilem afferre: Verum æqué promptum est & Examinatori periodici humorum motus conjecturam æqué probabilem afferre. Ignorat Medicus Oxonienſis de causâ *constare* dicendum esse, de conjecturâ minimè, & illam, demonstrationem, hanc, opinionem tantum parere. Tandem *Galilæus*, *Cartesius*, & *Gassendus* phænomenon de maris fluxu & refluxu melius solverunt, quam *Meara* quicquam de febribus. Sit ita: nullus autem eorum de fluxu & refluxu maris demonstrationem attulit, de quâ solâ *constare* dicendum est.

Vind. p. 134. *Nam infra ostendemus humores in febre intermittente non omnino putrescere: quin immo si putrescerent, eos hoc nomine paroxysmos non posse inducere.*

Vind. ibid. Fac fidem hic datam, infra liberes melius quam in vindicatione *Harvæi* de sanguinis facultate motrice & sensitiva.

Primum

Primum hoc Williſii argumentum plura alia ejuſdem authoris eaque inſignis momenti rectâ ſerie ſequuntur, quæ tamen Meara quoniam quod ad ea referret nihil habuit conſulto prætermiſit, tandem poſt ſeptem paginas paragraphen hanc cui ſe parem exiſtimabat unam invenit. Vind. ibid.

Quâ fide & veracitate in Capitis primi titulo *Mearam* pyretologiæ Williſianæ Synopſin non niſi imperfectam exhibuiſſe, In tertii item Capitis titulo ſuccum Gliſſonii nutritium ſe propugnaturum jactavit Vindicator, neutrius tamen probationem aliquam adduxit, eâdem hîc multa *Williſii* argumenta à *Meara* conſultò prætermiſſa fingit, nullam tamen ejuſmodi prætermiſſionis inſtantiam adfert: probè enim novit lectorum pleroſq; vel tædio deterrendos, ne *Williſii* ambages repetendas aſſumant, vel propriæ ingenuitatis conſcios, tantam in Vindicatore mentiendi con-

constantiam non suspicaturos: propter quam vestram ego Lectores ingenui patientiam & attentionem paulisper imploro, dum quam fieri potest breviter, septem illas paginas, *Willisii* argumenta, à *Meata*, ut vindicator prætendit omissa, continentes recolo.

Igitur inter vigesimam octavam & trigesimam quintam Diatribæ de febribus paginas, hoc est usque ad *Willisii* primum, quod vindicatori secundum est argumentum, octo omnino sunt paragraphi. In primo *dicit, non probat*, succum nutritium qui sanguini crudus accedit, illi commixtum & cum eo aliquandiu circulatum assimilari & in humorem perfectum maturari, postea veteascentem in partes abire & seponi. Si vero contingat succum alibilem non maturari, nec in sanguinem facessere, tum sanguinem eo ad plenitudinem saturatum turgescere & paroxysmum febrilem excitare.

In

In secundo *dicit, non probat*, succum hunc nutritium sanguini confusum non assimilari prout par esset, non alimentorum aut viscerum, sed ipsius sanguinis vitio in naturam acrem, acidam aut austeram transeuntis: unde cum sanguis sit sanguinis ipse ex, fit ut succum nutritium quo nutriri debuit pervertat.

In tertio *dicit non probat* rigorem & frigus in paroxysmis calori prævio ideo contingere quia succus nutritius à crudi tatis statu ad maturitatem pergens, ipsam vero non attingens infignem acrem contrahit quo partes nervosæ punguntur, vellicantur, frigoris sensum corripiunt, in tremores & spasmos agunt.

In quarto ex his satis oraculis ostendit rationem intermissionis febrilis: Intermissionem sc. sequi quia tota materia morbi unico paraxysmo dissipatur.

In quinto stata periodorum intervalla deducit ex æquali mensura

ſura qua in paroxyſmorum interſtitiis ſuccus nutritius ſanguini ſuppeditatur: paroxyſmos autem anticipare aut morari ſi ejuſmodi æqualitas in ſucci nuttitii ſupplemento nou ſervetur.

In ſexto *dicit non probat*, ſanguinis diatheſin prout eſt vel acris vel acida vel auſtera in cauſa eſſe Cur febrium periodi non ſint vinus generis ſed diverſi: unde magis aut minus, citius aut tardius ſuccum alibilem pervertit, & febrim producit vel tertianam vel quartanam vel quotidianam.

In ſeptimo dicit febrium inſultus ſtricte loquendo nec anticipare, nec poſtponere: ſed ita videri medicis febrium intervalla non per horas, ſed per dies computantibus.

In his ſeptem paragraphis (quorum unumquenq; alibi data occaſione efficaciter *Meara* oppugnavit) judicent lectores eruditi ſi quid occurrat, quod vel ſpeciem

em argumenti præ se ferat, quos ipse *Willisius* adeo pro argumentis non exhibet, ut in octavo ad statum quæstionis accedens, qui est *Utrum paroxysmus febrilis ab humore quopiam in Minera putrescente, an à mala sanguinis diathesi procedat*, hoc postremum assumat probandum ex signorum comparatione, ex causarum procatarcticarum consideratione, & ex criseos ac curandi ratione. In signorum autem censu argumentum adducit à pulsu & urina ab Examinis authore hic agitatum, quod quamvis ipse *Willisius* pagina 35. primum appellet, *Vindicator* invito *Willisio* secundum dicere mavult.

Sed frustra erit si quis solutionem à Meara *expectaverit. Sufficit illi hunc effectum sicut multa alia febrium symptomata ascribere vaporibus putridis spiritus in corde obruentibus.* *Vind.* p. 134. *Vind.* p. 135.

Monuimus anteá *Willisium* Opponentis, *Mearam* Respon-

dentis partes ſuſtinere: hîc *Williſius* pulſum in paroxyſmi initio ideo ait rarum eſſe & depreſſum quia ſpiritus in ſanguine à materia cruda, ſucco puta alibili obruuntur. *Meara* reſpondet hunc effectum aſcribendum eſſe vaporibus putridis è viſceribus emiſſis & ſpiritus in corde obruentibus. *Williſius* cujus utpote aggreſſoris, interfuit effata ſua rationibus munire, nuda affirmatione penſum abſolvit: *Meara* cui, utpote *Reſpondenti*, nulla neceſſitas incumbebat argumentandi, *Reſponſum* tamen ſuum probat *Hippocraticâ* febris putridæ hiſtoriâ, oriundæ ex inguinis abſceſſu, unde præter vapores nihil potuit ad cor tranſmitti. Nihilominus *vindicator* ſolutionem á *Meara* fruſtra gannit expectandam; at nè Convitiatoris ac Terræ filii munia oblitus videretur, Mearam *medicaſtri circumforanei, obſtetricibus & mulierculis inſtruendis aut audiendis nati* titulo ornat.

Vind. p. 135.

nat. Sed meminerit Medicus Oxonienſis hoc elogium Clienti cuidam ſuo meliori jure deberi. Novit ſané *profeſſor* Sidieanus; norunt *Academici*, novit univerſus Oxonienſis tractus, non *Mearam*, ſed *magnorum*, ut haberi vult, *Famæ Nominum non poſtremum* aliquando *medicaſtrum* veré *circumforaneum*, ac tantum non *Scenobatem* egiſſe, cum *Abendoniam*, *Farentoniam*, aliáq; in *Oxoniæ* vicinia fora & oppidula, ſectâ dietim ad nundinationis compendium hebdomade circumiret, ut magno ære, majore ſorditate apporrheta furnulariæ impoſturæ Cimelia venum obtruderet & ruſticorum crumenas emungeret.

Intra quas ductus & quâ viâ per tot vaſorum obices hi vapores ad cor ferantur, nunquam perpendit ille &c. Vind. ibid.

Quid fuit neceſſe ductus & vias inveſtigare deferendis vaporibus in corpore quod undiquáque *ſympnoun* eſt & *ſyrrhoun*

Vind. p. 136. *Quid enim perspicuè magis liquet quam sanguinem venosum à parte affecta* (inguine puta bubone obsesso) *reducem sordes illic depositas secum deferre, iisque non & totam sanguinis massam inficere?*

Imo quid magis perspicuè liquet quàm sanguinem in Inguinis bubone, (Lapideæ duritiei tumore) omnino non circulari, nec à parte afferta reducem ad cor deferri? ut luce meridianâ clarius sit vindicatorem circulationis naturam penitus ignorare, nec intelligere quomodo cessante alicubi Circulatione, morbi ab obstructione oriantur, ut sentiunt circulationis patroni & *Willisium* monuit author Examinis pp. 105, 106.

Vind pp. 135, 137. *Miror ego quibus ductibus bilem citrinam è primis viis ad vasa majora penetrare supponat: Nam chylo nè illâc transeat viam precluſit, & ne misceatur sanguini vasorum quoq; Pequetianorum usum negavit.*

Fa-

Falsum est *Mearam* negasse chylum è primis viis ad vasa majora penetrare. Censet enim chylum per vasa mesaraica ad venam Cavam penetrare, sed in hepate alteratum & natura chyli exutâ in sanguinem conversum.

Sed interim quî fit ut à bile è primis viis in sanguinem penetrante non icterus potius quam febris excitaretur? Vind. p. 137.

Vah! quam inextricabilem nodum hic texuit Terræ filius! Sed ego retexo respondendo bilem putredine excandescentem febrim committere, eandem attenuatam & rarefactam in paroxysmo partim per sudores expirare, partim per urinas excernibilem imputrem crassam nec facile dissipabilem, & non per intervalla, ut in paroxysmis, sed continuo in vasa majora penetrantem cita febrim sanguinem colore luteo inficere & icterum gignere.

Vind. p. 138.

Dic obſecro ſi materia febrilis nondum ſanguini miſcetur, unde iam & à qua alia mixtura ſanguis tantam efferveſcentiam concipere potuit? cui hanc etiam vaporibus attribuis?

Dixerat, *Willisius* in febris Tertianæ paroxyſmo urinam eſſe laudabilem, in apyrexiæ intervallo non item. Unde colligit materiam fermentativam extra paroxyſmum innoxiè cum ſanguine circulari. Urinam autem ſaturatam aerubicundam apparere quia portio materiæ febrilis cum urina ex ſanguine excernitur. In vigore autem febris Urinam eſſe laudabilem, quia materia febrilis è vaſis ad habitum corporis excernitur. *Meara* p. 111. ex *Williſiana* hypotheſi colligit in vigore paroxyſmi febrilem materiam non miſceri ſanguini, donec ſc. in ſtatu ex incendio à putredine contracto fundatur & agitata in vaſa irrumpat, unde pars ejus tenuior & maxime diſſipabilis ad

habitum

habitum corporis expellatur, crassior vero in vasis subsistat donec in febris intervallo cum urina excernatur, quam assertionem inde probat, quia si sanguinis tanta esset mala constitutio ut succum a bilem quotidie vel à ternis diebus in materiam febri excitandæ idoneam convertere posset, impossibile foret urinam, quæ sanguinis est ventriculum ejusq; naturam exprimit, vel inter vel intra paroxysmos laudabilem esse, ut in continuis contingere videmus: quam assertionis *Mearanæ* probationem quemadmodum alias omnes difficultates Medicus Oxonienſis ut solet dissimmulat ac nullatenus attingit. Ne tamen nihil dixisse videatur quæro à qua alia mixtura & an à solis vaporibus sanguis tantam effervescentiam concipit, cui respondeo solos vapores in augmento sive vigore illam efficere posse: in statu autem etiam materiæ morbificæ partem sanguini misceri

ceri & in declinatione ac intermissione excludi: ubi advertendum est vigorem febris ad solum tractum non debere restringi, ut facere videtur Medicus Oxoniensis.

Cæterum ulterius observandum est *Mearam* non concedere urinam esse laudabilem in paroxismi vigore, malam in declinatione: sed argumento ad hominem uti ex *Willisii* suppositione, ut clarum est ex his ejus verbis *si verum est*, &c. Urina enim tenuis & contentorum expers qualis cernitur in paroxysmi vigore denotat cruditatem, ac propterea damnanda est: Crassior vero & sedimentum deponens pepasmon ostendit, ac propterea laudanda.

Vind. p. 139. *Quid si ostendatur symptomata ista non omnino à vaporibus, sed tantum à communicatione aut consensu partium oriri qualem nempe aut sanguinis circuitus, aut partium ac vasarum spasmi ma-*

t usq;

tusq; convulſivi efficiant? quo tum evadet tanta Mearæ *confidentia?*

Dixerat *Williſium* Cephalalgiam, vertiginem, oculorum coruſcationes, ſomnos inquietos quæ paroyſmos præcedunt, plane oſtendere ſanguinem etiam ante paroxyſmum materiâ fermenteſcente infectum fuiſſe: propterea q; febrilem materiam non in viſceribus ſed ſanguine extitiſſe. *Mearæ* omnino negat *Williſium* id plane oſtendiſſe, contenditq; ac multis inſtantiis probat omnia hæc ſymptomata in aliis morbis ut in paſſione hyſterica vertigine & epilepſia per conſenſum, in melancholia hypochondriaca, in alvi conſtipatione, vernibus, &c. à ſolis vaporibus proficiſci, quas vindicator hic non attingit, ſed alio in loco ſolvere, aliasq; earum cauſas demonſtrare policetur, quo artificio difficultates prope omnes é conſpectu ſolet abducere.

Interim

Vind. p. 104. *Interim candide Lector eruditam* Mearæ *pathologiam, quam appoſitè ſc. palloris, rigoris, tremoris, horroris & frigoris cauſas explicat, attentè conſidera, tantum Cavetо ne rumpantur & Ilia riſu.*

Palloris in extremis manuum pedumq; digitis, frigoriſq; in lumbis & temoribus cauſam ſtatuit at *Meara* vel retractionem foris intro caloris & ſpirituum, ut in ſyncopen patientibus, vel eorundem extinctionem, ut in moribundis contingit. quem effectum ſanguinis in venis fermentationi negat aſcribendum propterea quod fermentatio nec ſubito excitari, nec ſubito ſedari poſſit cum ſit motus lentus & diuturnus, ſecus quam contingit in pallore, rigore, frigore, tremore, quæ ſubito nonnunquam ceſſant, quam primum ſc. vomitus ſponte vel arte provocatur: evacuata nimirum & per vomitum excuſſa maligni vaporis materiâ

in

in prima regione contentâ, unde propter viciniam venenatus halitus cor appetens & affligens retrahendis ab extremis ad centrum calori & spiritibus occasionem præbuit: quo dilucido, calorem & spiritus ad extrema subito remeare observamus: præterea *Mearæ* contenderat malignos vapores propter situm declivem tetram anathymiasin cerebro facile communicare, quæ vel qualitate narcotica stuporem inducere, vel copiâ meatus cerebri obstruere, vel acrimonia partes sensiles irritare, rigoremq; & tremorem inducere possit. Hæc est illa *Mearæ* pathologia quæ eruditorum conspectum non subterfugit, tot rationibus comprobata quas vindicator refellere non aggreditur, sed illis silentio obrutis in risum effunditur. Sed Caveat ne *immio risu stultitiam prodat.*

Dixerat Willisius *in hunc morbum facilius* (*facillimè habet* Willisii *Texus*) *incidere qui viscera* Vind. p. 141-142.

habent

habent firma & robuſta & qui calore vegeto abundant: hæc ipſa Williſii *verba ſunt quæ tamen* Meara *ſuo more pervertit, eumq; audacter pronuntiaſſe improbè fingit ſolos* euſplanchnous *viſceraq; firma & robuſta habentes febribus intermittentibus corripi. Tum quaſi hoc parum eſſet proximis fere verbis eundem* Williſium *citat quaſi dicentem cruditates ob debilitatem coctionis in primis viis congeſtas, non febres interpolatas. ſed hydropem aut cachexiam parere. Quæ verba aut alia in hunc ſenſum apud* Williſium *non extant*, & paulo poſt. *At vero poſtquam perfidiâ & dolo quod potuit effecit, &c.*

Fama eſt Concionatorem quendam non eruditiſſimum in frequenti auditorio *Bellarmini* confutationem pollicitum, id tribus hiſce verbis abſoluiſſe. *Tu Bellarmine mentiris.* Medici noſtri Oxonienſis ea eſt modeſtia ut adverſario non mendacium ſolum, ſed im-

improbitatem & perfidiam & dolum affingat, quo jure perpendamus. *Willisium Meara* dicentem introduxerat *solos homines* euſplanchnous *viscera aq; firma & robusta habentes febribus intermittentibus facillime corripi?* fatetur vindicator *Willisium* dixiſſe in huc morbum (de febre autem intermittente ſermo erat) eos qui viſcera habent firma & robuſta facilius incidere, & addit *Meatam, hæc verba ſuo more pervertere.* Sed quomodo pervertit? addidit nempe euſplanchnous. Ignorat nimirum Medicus Oxonienſis, vel rudes ſaltem lectores (quos ſolos Iudices optaret) ſperat ignoraturos *To* euſplanchnon idem plane eſſe quod viſceribus firmis prædit um. Sed *Meara* etiam addidit (*solos*) *Meara* ſane, ex *Williſii* diſcurſu infert tanquam abſurdum ſolos *euſplanchnous* febribus intermittentibus corripi, idq; meritò. Quum enim alterum antitheſeos *Williſianæ* membrum dicat viſcera,

firma

firma & robusta habentes febribus intermittentibus facillimè corripi; alterum contrariâ diathesi affectos (hoc est quibus ob debilitatem coctionis cruditătes in primis viis congeruntur) à febre intermittente immunes esse, quis non colligeret solos *euplanchnous* ex mente *Willisii* febribus intermittentibus corripi?

Sed fortiter negat Medicus Oxoniensis *Willisium* dixisse cruditătes ob debilitatem coctionis in primis viis congestas non febres interpolatas, sed hydropem aut cachexiam magis parere. Et addit *hæc verba aut alia in hunc sensum apud* Willisium *non extare quin immo quod ille dixit prorsus aliud sonare.* Quid ais Terræ fili? hæc verba aut alia in hunc sensum apud *Willisium* non extant? quod *Willisius* dixit prorsus aliud sonat? Lege si placet apud *Willisium* diatribæ de febribus p. 38. hæc verba. *Immo in hunc morbum* (febrim nempe

in

termittentem de quâ tum ſermo erat) *facillime incidunt qui viſcera habent firma & robuſta & qui calore vegeto abundant. Econtra quibus ob debilem coctionem crudi-tates in primis viis continuo congeruntur, ut ſunt in hydropem aut cachexiam proclives, plerunq; ab hoc affectu immunes degunt.* Hæc cum legeris ſiquid tibi reliquum eſt pudoris erubeſce, tuaq; convitia improbitatem, perfidiam, dolum in ſinum tuum juſtiſſimo titulo reverſura reſorbe,

Verum enim vero ignoſcendum eſt vindicatori ut malam cauſam convitiis propugnet quum rationes non occurrant, & ut adverſarii argumenta quæ non poteſt ſolvere, ſilenter pretervehatur, quemad modum in hoc loco *Mearanas* inſtantias de humorum ſaburra in viſceribus laborantium febribus intermittentibus latitante, ut colligit ex ægrotantium nauſea, ſiti, anorexiâ inter & intra paroxyſmos, ex vomituum & excretio- *Exam. p. 119.*

num alvinarum tinctura citrina, prasina, ærugnioſa, conſiſtentia viſcida & mucilaginoſa, acrimonia erodente, fætore abominabili: ex viſcerum deniq; , hypochondriorum nempe meſenterii , uentriculi tumoribus doloribuſq; perfrequentibus. Tandem tamen ne nihil dixsſe videatur erudite & eleganter dicit *revera inordinationes circa res iſtas non naturales* (cibum puta & potum, ſommum & vigiliam, motum & quietem, excreta & retenta, animiq; pathemata) *ſæpius cauſas evidentes eſſe febrium intermittentium quam procatarcticas* quaſi vero magni interſit ad præſentem controverſiam an ſint cauſæ evidentes an procatarcticæ.

Hæc reſponſio argumento Willi- *Vind.* ſiano *nondum ſatisfacit, neq; ejus* 142. *planam demonſtrationem ut ais, eludit. Obſervatione etenim vulgari conſtat etiam illos qui ad exactiſſimas temperantiæ regulas vivunt, circa iſta tempora invitâ omni circa victum cautelâ ſepenumero in-*

incidere in febres intermittentes.

Planam *Williſii* (ut credi voluit) demonſtrationem, quæ fuit ſanguinis pravam diatheſin eſſe febrium intermittentium cauſam quia ejuſmodi febres non contingunt niſi circa æquinoctia, quando ſc. propter tempeſtatis mutationem maxima fit alteratio) hinc invalidam concluſit *Meara* quia circa hæc tempora etiam graviora committantur in victu errata: addiditque, *effectum mille aliis cauſis communem ſoli tempeſtatum mutationi aſcribendum non eſſe*: ſed regerit vindicator etiam illos qui exactiſſimas diætæ regulas obſervant circa æquinoctia in febres intermittentes incidere, quod ut in prædiſpoſitis, illis ſcilicet qui longe ante æquinoctia in victu peccarunt, verum eſſe poſſit & ſoleat: in non prædiſpoſitis & regulariter circa æquinoctia viventibus verum eſſe nequit, alioquin omnes omnino mortales circa

æquinoctia semper in febres intermittentes incideret, quod est contra experientiam. Unde non potest non videri ridiculum quod ait vindicator *quemcunque quantumvis sanum, & à scaturra viscerum vomitu* ac catharsi exoneratum in maritima Cantii aut Essexiæ ora sub autumnum omnino corripiendum à febre intermittente. Nemo enim Cantianorum vel Essexianorum est, qui non habeat viscera vel firma & robusta, vel infirma, adeóque cruditates propter debilem coctionem in primis viis congerat. Si sanus sit visceraq; habeat firma & robusta (*nisi maxime fallitur Medicus Oxoniensis*) in autumno febre intermittente corripietur; Si propter infirmitatem viscerum cruditates congerat, in hydropem incidet, aut cachexiam: unde sequitur nullum esse Cantianum aut Essexianum, qui in Autumno vel febre intermittente non corripiatur, vel in hydropem aut cachexiam non incidat,

Vind. p. 143.

dat, nisi maximopere fallitur Medicus Oxonienſis.

Nec minus ridicule interrogat vindicator quæ ratio eſt cur quartana tantum in autumno & nunquam vere incipiat, ſi æeris conſtitutio ſanguinem immutans, febris intermittentis non ſit cauſa præcipua. Nam, ut omittam hypotheſin falſam eſſe non obſtante *Williſii* obſeruatione, errata in victu commiſſa, etiam ante autumnum, & ipſorum humorum in viſceribus collectorum ab æſtivo calore torrefactio] & in melancholicum humorem mutatio non minorem febri intermittenti occaſionem præbent quam autumnalis temperiei conſtituti. *Vind. p.* 103.

Ad argumenta Williſii a febris intermittentis curatione deſumpta, nempe quod remediis empiricis ſæpius ac certius quam medicinæ methodo dogmaticè inſtituta curari ſoleant hoc unum regeris, cum argumentatione nihil probare, niſi conſecerit humores in foco aut minera *Vind. p.* 143.

concluſos non iisdem modis curari poſſe. Certe hoc nobis impoſſibile videtur, quia remedia febrifuga ſunt ejuſmodi aut eo modo applicantur, ut illorum operatio aut ſolum modo aut inprimis ad ſanguinem pertingat.

Argumenti *Williſiani* a febrium intermittentium curratione deſumpti multa fuerunt membra à te hic ſubdole omiſſa præter unicum illud de medicamentis empiricis, nos, ut lectores repititionum tædio levemus, pauca hic ex *examine* excerpenda duximus, quæ & argumenti *Williſiani* ſummam, & enervationem continent, ut nihil amplius neceſſe ſit addere. *Verum cum probandum ſuſceperit febrium intermittentium phenomena à viſcerum affectibus commode deduci non poſſe, niſi confecerit humores in foco vel minera concluſos nec repetitis paroxyſmis accendi & abſumi poſſe, nec ſponte naturæ per cæli aut ſoli mutationem curari, ſenſimque citra ſenſibilem evacuationem*

Exam. p. 123.

ationem expirare, nec motos & accenſos à remediis empiricis ſigi & conſtringi, nec deniqi à præſidiis dogmaticis exhauriri, fruſtra ſe torquet ut oſtendat ſanguinem à tot cauſis tot alterationes ſubire poſſe: nam ut fateamur ſanguinem ab his & mille aliis cauſis corrumpi & reſtitui, Unde apparet humores in viſceribus concluſos ab iisdem cauſis eaſdem corrumptelæ & redintegrationis non pati viciſſitudines, aut cur contrarii argumentum aliquod non attulit?

Hujus paritatis inſtantias quas vindicator omiſit pro confeſſis agnoſcere debet, cum unicam illam à præſidiorum empiricorum efficacia propugnandam ſuſcipiat. Sed quomodo propugnat? dicendo ſc. *præſidia febrifuga eſſe ejuſmodi, aut eo modo applicari ut illorum operatio aut ſolummodo aut imprimis ad ſanguinem pertingat*: ſed unde conſtat illorum operationem aut ſolummodo aut in primis ad ſanguinem pertingere? *Williſiano illo ipſe dixit.*

Vind. p. 144. *Bene eſt quod viſcera fere omnia nominaſti, ut alicui ſaltem ex iis competat quod aſſeruiſti : Credo tamen quod nulli.*

Meara aſſeruerat Ictetum, Scorbutum, cachexiam in aliam cauſam reiici non debere niſi in hepatis, lienis, meſenterii, pancreatis aut alterius viſceris affectum. Medicus Oxonienſis in contrarium efficaciter argumentatur dicendo ſe credere morbos illos nullius viſcerum affectui attribuendos eſſe : in vindicatore ſiquidem authenticus *Williſii* Genius paſſim eluceet.

Vind p. 145. *Omnes quibus ſanguinis natura & affectiones innotuerunt, morborum iſtorum cauſas primarias in ſanguinem reiiciunt : tum priuſquam viſcera infarciuntur, neceſſe eſt ut impurus & cacochymicus evadat, qui propterea fæculentias ſuas inter circulandum depoſitas viſceribus illis affigit, &c.*

Sanguis

Sanguis evadit impurus vel organorum vitio, vel rerum non naturalium immoderatione: organorum vitio vel sanguis mala diatheſi imbuitur, propter partium intemperiem, vel ab impuritate in hæmatoſi non ſatis expurgatur propter obſtructionem. Obſtructio fit vel à mala ipſius organi compoſitione vel propter materiæ ex qua fit ſanguis, craſſitiem aut lentorem: quare erroneum eſt aſſerere impoſſibile eſſe viſcera inferciri antequam ſanguis evadat impurus: hic autem error procedit à pertinacia novorum ſciolorum, chylum per lacteas thoracicas in ſubclaviam ferri ſuſtinentium; quam opinionem Ludovici Bilzii experimento ſuperius refutavinus.

Quod tu aſſeris chylum cum nondum in ſanguinem abiit viſcera iſta tranſire, &c. Nam ut de hepate nihil dicam (cui certe cum chylo nihil eſt commercii) putas tu chylum ad pancreas & lienem tranſire? quis hoc præter Mearam *aſſe-*

rere

rere ausus est? hæc in parergo.

Quis præter Medicum Oxoniensem negare ausit chylum ad pancreas transire quod truncum venæ portæ, quod venas lacteas excipit, quod ramum splenicum sinu suo ad Lienem tradueit? quis præter Medicum Oxonienſem ignorat non *Mearam* tantum sed multos authores percelebres existimasse chyli portionem ex venæ portæ trunco per ramum splenicum ad lienem deferri ibi in sanguinem mutandam, ut nihil dicam de vindicatoris confidentia (infallibi ingenii ad pauca respicientis argumento) Certo affirmantis hepati cum chylo nihil esse Commercii, quod erroneum esse doctorum omnium communi assensu constat, & nos irrefragabili Bilzii experimento sæpius memorato ostendimus.

Contra empiricas febrium intermittentium curationes *Meara* quotidianam experientiam testem ad-

adduxerat qua conſtat illas in levibus affectibus aliquid præſtare, in gravioribus ſi corpore non præparato adhibeantur, vel paroxyſmos non fugari, vel ſi fugentur eos cum graviore atrocia propediem reverti: addideratq; etiamſi concederetur medicamentis empiricis febres intermittentes certius & felicius quam dogmaticis curari, inde tamen non ſequi materiam febrilem in vaſis majoribus ſtabulari, cum medicamenta empirica non minus in materiam in viſceribus quam in vaſis majoribus contentam agere poſſint. Vindicator experientiam pro *Mera* ſtare fortiter negat, paritatem tamen rationis (quæ ut præcipue ad quæſtionem faciebat, ita & reſponſum præcipué merebatur) nullo modo attingit, niſi attingere ſit nudé aſſerere, non rationibus oqpugnare. *Vind.* p. 146.

Hæc verba incantamenti inſtar chartulæ inſcripta & amuleti vice collo ſuſpenſa febrium forte inſultus abi- *Vind.* p. 147.

abigent: veruntamen si tam longâ serie medicamentorum præscriptâ totidem intentionibus insistatur, non aberit quin aptissimè in vos retorquebitur illud sc. quod ægros miserè excruciatis, morbumque raro profligatis: concedo vos prudentes esse medicos sed in lucri vestri rem, &c.

Terræ filium & histrionem etiam adhuc agit Medicus Oxoniensis, sed non multo eligantiorem quam quum de suggesto applausu quem captabat excidit. Cæterum verissime dicit ægros miserè excruciandos, morbumq; raro profligandum sitam longâ medicamentorum serie præscriptâ totidem intentionibus insisteretur, quas scilicet *Meara* recitat p. 126, à vindicatore male intellectus: ubi enim unquam in eodem morbo humores pariter attennandos & incrassandos dixit *Meara*? humores autem crassiores attenuari, lentos incidi, tenues incrassari del eri quis negaret, non in eadem te-

bre

bre, sed in diversis, in quibus humores diversimodé constituti contingeret? quis etiam in eadem febre superfluos humores expelli, meatus per exophractica reserari, viscerum cacopragian alterantibus corrigi, reliquias sudore dissipari debere præter vindicatorem negaret, qui ignorat intentionum *Catenam* hanc quam voco *sesquidalem* victu recte instituto & uno eo forte aut altero remedio accommodato posse obtineri, diversis ejusdem præsidii facultatibus sæpenumero diversas intentiones adimplentibus? sed indoctis ac de vulgi applausu sollicitis, de eruditorum vero opinione desperabundis permittendum est veræ solidæq; medicinæ oblatrare ad instar illius Iatromastygis qui nuper ex *phanatico* Tabellionum magistro novus de repente emergens medicinæ *Censor* in medicinam & medicos hausta ex *Willisiano* Gazophylacio integra convitiorum

Author medelæ Medicinæ.

vitiorum plaustra evomuit. *Mearam* Vindicator p. 149. sibi geminum ignorantiæ subterfugium conciscere ait, qui hic vasa vel viscera dixit, prout alibi venas vel arterias dixerat: quasi vero materia febrilis in visceribus seorsim à vasis, vel in vasis seorsim à visceribus consistere, vel in utrisque simul contineri nequeat, quæ tamen asystata esse probare non aggreditur. Interim egregiè patet illum circulationis naturam non intelligere, nec quomodo, illâ alicubi interrupta morbi ab obstructione oriantur, dum ex eo infert *Mearam* circulationem vel negare vel non intelligere quod materiam febrilem concludi contendat in ramis venæ portæ seorsim à venis majoribus? Quid enim impedit sanguinem in vasis majoribus libere circumduci, quamvis ejus motus in quibusdam venæ portæ ramis impediatur? Quid arteriæ magnæ descendentis inflammationem & aneurisma, quid

arteriæ cæliacæ tumorem nonnunquam magni alicujus intestini æmulum committit nisi venarum quarundam in quas exonerari solent obstructio, quamvis interim ab aliis arteriis in alias venas sanguis sine impedimento transmittatur & circuletur?

Sed Willisius *iterum tribunali sistendus quod remedia febrifuga sanguinem aut humores frigore aut astrictione figendo id præstare asseruit. Quinetiam* Willisius *ex iis nonnulla sanguinem præcipitare, alia ipsum fundere & per diaphoresin agere declaravit Verum hæc more tuo celas, &c.* Vind. p. 149.

Quod *Willisius* febrifuga dixerit facultate diaphoretica febres curare falsum est, ut cuilibet diatribæ *pp.* 39. & 40. legenti constare potest: dixit autem eorundem remediorum quædam febrium insultus pellere sanguinem fundendo & agitando uelut præcipitando, quod *Meara* omisit, forte quia illud tam ridiculum existimavit ut nullius

nullius vel attentionem potuerit mereri vel festinationem debuerit morari. Cum enim *Willisius* febrium insultus fermentationem quandam esse, immo præcipuam fermentationis instantiam statuerit Cap. primo de febribus In fermentatione autem effervescentiam agitationem & motum intestinum intervenire scripserit capite tertio de fermentat. quemodo jam ejusmodi fermentationem per motum inhiberi asserit? nisi frote ejusmodi sit motus quem evacuatio sequatur, quam tamen a febrifugorum effectu proscripsit p. 39. de febr. ipse autem *Mearn* inter febrifugorum effectus tum fixationem admisit, tum evacuationem per sudores, per urinas, & vejicatoria adjunxit quæ quamvis lippis & tonsoribus notissima sint, *Willisius* tamen ignorasse censendus est quia illa ubi maxime memorata oportuit, omisit. Quod vero attinet ad facultatem Corticis Kinæ kinæ quam tu omnino fixoriam

rium contendis, & *Mearam* nunquam exhibuisse asseris quia nulli intentionum ejus respondet, experientia teste convinceris, cum exhibitus levem saltem sudorem nunquam non eliciat: Cæterum ego existimo nec te nec *Willisium* Corticem illum nosse, cujus ne nomen quidem ante editum diatribæ examen audivisse videmini.

Willisium arguit febrium intermittentium Anomalias quibus paroxysmi irregularter contingentes morbi Typum invertunt aut perperam assignasse, aut earum causas non recte explicasse. Vind. p. 150.

Meara Willisium nullatenus reprehendit quod paroxysmorum irregularium causas male explicuerit de quibus in hac quæstione sermonem non esse monuit p. 132. sed quod regulares intermittentium duplicium vel triplicium replicationes non explicuerit, ex quarum consideratione Medici communiter plures in visceribus, Exam. p. 129.

febri es mineras agnoſcendas contendunt hoc *Mearæ* argumento à vindicatore omiſſo inducti. *Si febris V. g. quartana ab atrabilaria pendet ſanguinis diatheſi quæ ad hoc ut ſuccum alibilem ad urgeſcentiam evehat quatridui exigit periodum, quomodo fieri poteſt ut idem ſanguis eadem diatheſi imbutus ſuccum alibilem quatridui ſpatio bis vel ter pervertat & quartanæ inſultum inducat. Vel enim ultimi paroxyſmi materia ineunte primo paroxyſmo in ſanguine extitit vel de novo advenit. Quod de novo advenerit eſt contra ſuppoſitionem qua quatridui ſpatium requiritur ad complendam quartanæ periodum. Si præfuit in ſanguine dum accenderentur duo priores paroxyſmi, quomodo potuit inter incendia naturam ſuam integram conſervare?* Quæ ratio etiam militat in tertiana duplice.

Cum ille febres intermittentes ſimplices vel duplices ſtatuiſſet.

Immo

Immo vero *Williſius* negat (*ſed timide & inconſtanter*) dari duplices intermittentes. Ait enim p. 42. febres quæ duplices videntur revera eſſe ſimplices: errorem vero præcipue orirî quia paroxyſmi non horis ſed diebus computantur.

Addit Meara *& triplices, eumq;* (Williſium) *increpat quod has non vidiſſet* & poſtea p. 151. *Certé hoc* Williſius *ſatis adverterat cum dicit febrem intermittentem non raro Typum mutare, & è febre tertiana fieri aut quartanam aut quotidianam. Quam itaq; Tu Quartanam triplicem nos multo rectius quotidianam ſimplicem appellamus.* Vind. ibid.

Mirum eſt *Williſium* intermittentem triplicem advertiſſe cujus nullibi meminit. Tertiana enim illa quæ in quotidianam vel quartanam mutatur, aut triplex eſt, aut non eſt triplex: ſi non eſt triplex ubi triplicem intermittentem advertit *Williſius*? ſi eſt triplex quomodo tu illam ſimplicem quotidianam appellas?

Vind. p. 151. *Inter febrium intermittentium anomalias quæ tertiana duplex appellatur præcipua & maximè frequens, quum paroxyſmi quotidie evenientes ita duplicantur ut primus tertio, ſecundus quarto reſpondeat, hoc* Williſius *optime ſolvit computando periodorum ſpatia non diebus ſed horis cum inordinationes in victu accedunt, & prandio adhibito paroxyſmus multo maturior, omiſſo tardior eveniat.*

Si alterni paroxyſmi ſibi mutuo reſpondeant, primo ſcilicet tertius, & ſecundo quartus (quam proportionem intervenire quid impedit inter ſeptimum & quintum, vel inter ſextum & octavum?) ac priores mane, poſteriores à meridie ſtatis conſtanter horis repetant, & ejuſmodi conſtans paroxyſmorum inæqualitas maturiori vel tardiori prandii exhibitioni aſcribenda eſt, neceſſe erit vel ægrum alternis diebus conſtanter horam prandii ita mutare ut prim, tertio, quinto & ſeptimo

timo die una aliqua determinata hora, ſecundo quarto ſexto & octavo alia determinata ſed à priore diverſa hora prandeat, quod ridiculum eſſe & contra experientiam quis non videt? vel aliam tam regularis intermittentium replicationis cauſam inveſtigandam eſſe præter horariam *Williſii* Arithmeticam. Cæterum quid reſpondebit *Williſius* ſciſſitanti cauſam quartanæ duplicis quæ duobus primis periodi diebus eadem præciſé horâ repetit, tertio non repetit, quum tamen tertio ſolo, hoc eſt in apyrexia æger prandeat, duobus primis ut plurimum jejunet, quam diu ſc. febris affligit? quid reſpondebit ſciſſitanti cur ægro omnino non prandenti eádem alternorum paroxyſmorum *anomalia* (ſi modo anomalia dicenda eſt) contingat? quid reponet vindicator quærenti cur his aliiſque Examinatoris rationibus nihil reſpondit?

Vind p. 152. *Credo alios eam* (horariam *Willisii* computationem) *videre & agnoscere, sed nihil mirum est si tu ad hæc plane cæcutias qui sanguinis circulationem, chyli transitum hepatis usum &c. nondum videre potes.*

Oculatissimus Terræ filius explicare debuit quo Cæmento connectantur circulatio sanguinis chyli transitus, hepatis usus cum horario febrilis periodi computo, ut hic sine illis non possit intelligi & ostendere diariam computationem illis non æqué rectè competere.

Cur autem tu Willisium *duplicis quotidianæ authorem asseris? profecto mihi librum ejus accurate perlegenti nihil tale occurrit.*

Si *Willisius* duplicem quotidianam non agnoscit cur *pag.* 44. in reddendâ inæqualitatis periodicæ causa, quotidianæ interstitia dicit non esse semper & exactè viginti quatuor horas, sed nunc sexdecem nunc triginta, unde contingere

tingere ut alterni paroxysmi nunc ante nunc post meridiem eveniant? hanc enim duplicationis periodorum (quam ille anomaliam mavult appellare) rationem assignat.

At vero intermittentis duplicis Typum quendam a Willisio *prætermissum observavit* Meara *quæ unius diei spatio binos accessus induc it.* Et postea. *Si quis cætera ejus scripta vel oscitantius inspexerit, deprehendet illum ejusmodi febrium Typos observasse.* Vind. p. 153.

Meara nullibi negat *Willisium* ejusmodi Typos observasse: Immo asserit *Willisium* illud in vivis & spirantibus exemplis non potuisse non observare.

Verum hic quis in te non miretur plusquam Claudianam meteoriam & cæcitatem *nam licet* Willisium *inæquales paroxysmorum* reduplicationes non observasse dixeris, *mox tamen quasi oblitus tui rationem quam Typis ejusmodi explicandis solvendisq; adhibuit, proximis ferè* Vind p. 154.

verbis

verbis & repetis & redarguendam ſuſcipis.

Quis in te potius non miretur cæcitatem & ignorantiam qui non advertis *Mearam* examinis *p.* 132. diſtinguere inter erraticas febres quæ nullum periodorum ordinem ſervant, & intermittentes duplices quarum acceſſus ſtatis præciſe horis repetunt ut non exactius Automaton horologicum, licet alterni paroxyſmi nunc ante nunc poſt meridiem invadant, nec advertis illum reprehendere *Williſium* quia erraticas febres ab intermittentibus duplicibus non ſecernit.

Cæterum iſtius effectus cauſas alias, ac inprimis pharmaciam male adminiſtratam innuit Williſius, *quam tu forte conſcientia & pudore oppreſſus ne te acrius mordeat ſicco pede præteris.*

Alteram febrilis reduplicationis cauſam ſtatuerat *Williſius* errata in victu, cui *Meara* regeſſit præſente febre à multis ægris duplices intermittentes

termittentes patientibus nulla in victu committi errata : victum autem febri prævium à *Willisio* non debere intelligi, tum quia illum in febrilium causarum censum non admittit, tum quia si admitteret, cogeretur diversos focos constituere in quibus materia febrilis diversis temporibus ad orgasinum exurgeret : tum denique quia succus nutritius quem febris intermittentis materiam statuit, ex victu præsente, non morbum præcedente gignitur, quas objectiones attingere commodum non existimat *Vindicator.* Alteram febrilis reduplicationis causam assignaverat *Willisius* pharmaciam male administratam, quam causam veram esse *Examinator* agnovit & in *Willisio* reprehendit, qui humoribus non præparatis tum drastica cathartica & emetica, tum febrifuga exhibet, unde intermittentes non tantum duplicantur sed etiam in continuas nonnunquam transeunt. Cur autem pharmaciæ

male

male administratæ mentio Examinatorem mordere deberet, in quo ejusmodi errores deprehendi nondum ostendit vindicator, divinatu non est obvium. Cæterum quod dicit *duplices intermittentes diu typum aliquem non servare*, est contra experientiam, quâ constat intermittentes duplices ad plures septimanas immo menses aliquando extendi.

Vind. p. 155. *Ultimo* Willisium *rearguis, quod aliquando in febrium intermittentium anomaliis succum nervosum in causæ partem asciscat, quod sane rectâ ratione ab eo factum est, &c.*

Succum nervosum non rectè in partem causæ reduplicantis febrium paroxysmos asisci ostendit *Meara* quia cum succus iste cum sanguine vitioso quotidie circulari à *Willisio* supponatur, à quo non potest non contrahere labem, idemque succus ita labefactatus eodem *Willisio* asserente *p.* 2. Convulsionum delirtii phrenilidis

sit

sit auctor, sequeretur tum in omni intermittente, paroxysmos reduplicari debere, tum in singulis paroxysmis convulsiones, deliria, phrenitidem contingere, quorum utrumq; est contra experientiam; quas rationes solitâ oblivione Vindicator sepelit. nec ostendit tertium aliquod repositorium in quo triplicis febris causa contineri possit si viscera excludantur.

CAP.

CAP. XII.

Mearana *febrium intermittentium doctrina contra Medicum Oxoniensem defenditur. Vindicatoris argumenta contra humorum putredinem & vaporum existentiam diluuntur.*

Vind. p. 156

Febris intermittentis causam materialem modo Tumores statuit modo humores & postea *p.* 158. *Etenim è medicis tum priscis tum neotericis nemo quod sciam præter* Mearam *hoc uspiam asseruit.*

Oxoniensis Medicus (quem hactenus bellum defensivum sustinentem & intra privatos lares dimicantem conspeximus) in campum jam apertum prosilire, & invasorem invadere audet, iisdem quibus se nuper defendit armis instructus, impostura sc. & mendaciis, quorum hoc illustre est

specimen

ſpecimen quod dicat examinatorem *Tumores* pro intermittentium cauſa materiali agnoviſſe, quod nullibi agnovit, nedum pagina 127, à vindicatore citata: dixit autem pagina 107. pro qua forte 127. librarii error ſubſtituit) *Tumores* non ſolum palpabiles & conſpicuos, ſed etiam latentes & ante mortem non detectos oſtendere febrium intermittentium cauſam in locis ita tumentibus contineri, adeoque tumores non pro cauſis ſed pro ſignis febrium agnovit. Cæterum quum dicat Vindicator *priſcorum* aut neotericorum neminem *quod ſciat* aſſerere *Tumores* viſcerum eſſe intermittentium cauſam materialem, ut verum eſſe poſſit, priſcorum aut Neotericorum celebrium neminem fortaſſe legit, neſcire tamen non potuit *Mearam* citaſſe hiſtoriam Hippocraticam de febre ex inguinis abſceſſu, & Fernelianam de tertiana oriunda ex collectione bilis praſinæ in membrana

brana prope cava hepatis concluſæ.

Sed vindicator ut examinatorem *omnibus ſimul caſtris & refugiis (ignorantiæ ſc. aſylis) exuat oſtendet materiam febris intermittentis nec in ramis venæ portæ, nec in arteriis comitibus contineri.* Egregium profecto & generoſum facinus. ſed quomodo *Oſtendet.* Dicendo nempe ſanguinem in ramis venæ portæ & arteriis comitibus *circulatione æquè celeri, ac in cæteris partibus, immo forte rapidiore decurrere.* Arqui nos vindicatorem hoc *Ignorantiæ aſylo* non ſemel exuimus quo ſe toties ut nullo pudore ita nullo fructu recipit. Conceſſimus enim, ſaltem non negavimus, in ſtatu ſanitatis ſanguinem in illis vaſis non multo forte tardius quam alibi circulari: in ſtatu morboſo idem ſemper contingere negavimus, & negationem munivimus adverſariorum conceſſione fatentium morbos ab obſtructione fieri propter cir-

Vind. pp. 158, 159.

circulationem in aliquibus vasis cessantem. Quod, si alicubi, Certé in ramis venæ portæ & arteriis comitibus contingere potest. Idem probavimus ex inusitatâ pulsatione, & aneurismate Arteriarum magnæ discendentis, mesentericæ & cæliacæ oriundis ex infarctu venarum in quas exonerari solebant: unde necesse est circulationem in illis cessare, sanguinemq; in arteriis restitantem tum arterias dilatare, tum pulsus violentos efficere, tum deniq; stagnare, putrescere, febresque producere.

Sed vindicator elegantiore adhuc ratione conficit *mineram febrilem in viscеribus à ramis venæ portæ irrigatis non contineri. quia sc. illud* Meara *nimis incautè prius negavit.* Sed quid negavit? *Negavit chylo e primis viis exitum dari quo sanguini misceatur: quare & humoribus morbificis ad sanguinem aditum præcludere debet, nisi fortæ putandum sit vias alimento negatas* *Vind. p. 160.*

negatos excrementis patere, & naturam ſedulo caviſſe ne ſanguis nutriatur, curaſſe ut corrumpatur.

Egregia enim vero argumentatio & quæ profeſſorem Sidleianum inprimis deceat! At ubi negavit *Meara chylo è primis viis exitum dari qui illum è ventriculo per meſaraicas ad portam & hepar tranſmitti* contendit, ibi in ſanguinem *convertendum*, *non ſanguini miſcendum?* ubi humoribus ad ſanguinem aditum conceſſit vel negavit qui ſanguinem ſuſtinet eſſe maſſam ex quatuor humoribus conflatam? Quod ad humores ſeparatos attinet, pituritam ſcil. & bilem utramque, cum amplius ſanguinis Ideam non ſervent, ſed in propriis receptaculis inter circulandum deponantur, vel in hæmatoſi à chylo ſecernantur, eos nec ſanguinis partes eſſe, nec in ſanguinem illis aditum patere exiſtimat, niſi morbi æſtuantes & putridine attenuati eó aditum ſibi vi aperiant quod quum vi morbi

bi, non sponte Naturæ fiat, quis cum Oxoniensi Medico inferat *naturam sedulo cavisse ne sanguis nutriatur, curasse ut corrumpatur?* Ne moneam vindicatorem suo more, ideſt, inscitè toties repetere sanguinem nutriri cui solum generatio non nutritio competit.

Secunda vindicatoris ratio. *Minera febrilis* juxta *Mearæ* hypothesin *in foco suo putrescere, accendi & illinc in sanguinem vasis majoribus contentum ebullire supponitur* Vid pp. 160, 161. *Quare* inquit vindicator, cum humores excrementii in visceribus concluſi *confertim in massam sanguinis transferri nequeant, Nemo etiam* Meara *Judice eos orgasmi febrilis reos dixerit.*

Minera febrilis secundum *Mearanam* hypothesin est humor excrementitius in visceribus concluſus, qui si putrescat, accendatur & in vasa majora ebulliat, quomodo secundum eandem hypothesin concludit vindicator illum in massam sanguineam transferri

ferri non posse? aut ubi apparet vis illativa (T. Quare) cujus merito humorem excrementitium ab orgasini febrilis culpa immunem pronunciat?

Tertio Vindicator magno conatu contendit *humores febrim intermittentem committentes nullatenus putrescere posse*: quod probat quia bilis (pituitæ enim nullam habet rationem) *aeri exposita diutissimè perstat incorrupta, & quod experiuntur Lanii qui fel animalium in ædibus suspensum ad vestes abstergendas diu reservant imputre.* Cujus argumenti robur eo recidit ut dicat. Bilis aeri exposita non putrescit, ergo nec in visceribus concluſa. Quasi vero multa aeri expoſita per ventilationem à putredine non vindicentur quæ perspiratione negata cito putrescerent, quod in pororum conſtipatione febrim putridam accersente millies experimur. Cæterum fatendum eſt bilem omnino ſynceram non tam febrim intermitten-

mittentem inducere quam Ereſipelas in parte quam occupat, ſi flava ſit, vel cancrum ſi atra, committere ſolere: unde Galenicorum pleriq; tertianam aut quartanam exactam dari poſſe negant, quum aliqua aliorum humorum mixtura ad febrim accendendam concurrere debeat ut flavæ calor & ſiccitas, atræ frigus & ſiccitas ad putredinem diſponantur.

Hic autem meminiſſe oportet Terræfilium pollicitorum nimium, fidei liberandæ immemorem, nondum oſtendiſſe humores *etiamſi putreſcerent* hoc nomine *paroxyſmos inducere non poſſe*, ſicut promiſerat, pag. 154.

Tandem Medicus Oxonienſis, ut Examinatorem, etiam Vaporum ſubſidio exueret, quibus velut ultimæ poſt naufragium tabulæ aut ſacræ Anchoræ *Mearanam* hypotheſin niti prædicat totum Sidleiani Armamentarii robur exhaurit, rationes corradit, expe- *Vind. pp.* 163.

rimenta accumulat; Ac primo contra Naturæ providentiam *ait esse si in nobilissima hominis structura, halitus stercoracei cor & cerebrum impune ferirent*, quod contingere necesse esset si corpus humanum vaporibus esset pervium.

Vind. p. 163.

At profecto Vir optime sæpenumero contingit stercoris tetro fætore, & ut ait Riolanus *opacâ mephiti ventriculum languescere, cor effœminari, cerebrum oppleri quando alvus est pigrior*, quod fieri non possit, nisi corpus esset perspirabile & vaporibus pervium. Nec propterea culpanda est Naturæ providentia, sed nostra inertia qui operam non damus ut diætâ rectè institutâ per loca naturæ lege convenientia alvi sentina tempestivé exhauriatur, priusquam vel qualitatem valde infensam contrahere, vel vaporum nimiam copiam emittere possit. In recentibus enim fæcibus tantum non est incommodi, quas in

Anthrop. pag. l. 2.

elatiore

elatiore & ampliore Coli prope Jecur & ventriculum parte ideo locatas aliqui opinantur, ut earum calore utriusq; viscēris calor naturalis intenderetur, quod chymicis a ratione alienum videri non debet, qui digestionem per fimum omnium laudatissimam deprædicant.

Rationem experimento uno aut altero munit vindicator 1. *Si in viviſectione membranis adhuc vitali calore dilatatis poriſq; apertis liquor fætidiſſimus in ventrieulum, inteſtinum aut veſicam infundatur ligaturâ infra ſupraq; injectâ, nulli tetri vapores per membranarum poros exibunt.* *Vind. p.* 165.

Hic ſupponit vindicator poſt nudatas membranas, aeriq; expoſitas earum poros apertos perſiſtere, quod falſum eſſe quis non videt? quum ſi vel ad momentum temporis membranæ frigori exponantur, earum pori non tantum occludantur, ſed & periculum ſit ne ipſæ gangrenâ corripiantur,

quod experiuntur qui non satis cauté Cranii apertionem moliuntur. Deinde *si pori remanent aperti* quid quæso impedit quo minus vapores exeant quos ex materiâ fœtida, nisi impediantur indesinenter emergere non sine narium strage sentimus? Deniq; ut verum sit (quod tamen fluxa authoris fides suspectum reddit) halitus fœtidos suâpte natura crassos & inertes denuisculam membranæ texturam non nisi difficulter permeare, inde tamen non sequitur vppores tenues acresq; (qui soli febrim accendere nati sunt) laxa aliarum partium, aut ipsarum membranarum non omnino obtusa spiracula penetrare non posse.

Vind. p. 107. 20. *In pueruli bicnnis* à vindicato e dissecti *cadavere abscessus pure fœtido repletus in auricula cordis dextra inventus nulla puerulo deliquia aut lipothimias attulerat* quod fieri oporteret si vapores ex abscessu emergerent,

Ad

Ad fidem vaporibus ex abscessu evolantibus astruendam non minus sufficere debuit mors consecuta quam lipothymia aut deliquium, præterea statim diximus vapores odoratum ferientes crassos esse, & per poros non nisi admodum patentes exire, deinde vapores quantumvis fætidi, nisi etiam sint venenati aut alterius malignitatis participes cor non affligunt, cum non sit odoratus organum, ut quotidie experimur. Denique non constat deliquia aut lipothymias isti puerulo non accidisse nisi ex fide vindicatoris quem *in observandis vivis & spirantibus exemplis* Willisio diligentiorem fuisse nefas esset suspicari, cujus tamen inadvertentias Examinator non semel detexit.

Rationi & experimentis hisce subjungit vindicator responsa ad objectiones: *Ex ebritate vini potum consequente, ex oris halitu allium plantis pedum applicatum spirante, ex tremore, dyspnœa, syncope af-*

Vind. pp. 167. 168, 169.

fectiones hypochondriacam & hystericam comitantibus, quæ omnia communicationi per sanguinem aut nervos attribuit, his à materia acri vellicatis, spasmo affectis cerebrumque & cor in consensum trahentibus, illo effluvia quædam à parte affecta, in cor & cerebrum inter circulandum deferente, quas assertiones munit *Willisii* authoritate, quem ait illud in Neurologia satis claré ostendisse.

At Certe *Willisius* nihil ejusmodi in Neurologia claré ostendit nili nude affirmasse sit claré ostendisse: Immo contrarium in Anatomes Cerebri cap. xx. insinuavit, ubi dixit. *Thorexi aut Cardiacis vix deglutitis citissimam refectionem peragi, opii pilula vix dissoluta Torporem conciliari* (non per nudum consensum propter spasmum) sed benignis alimenti effluviis, per nervorum ductus cerebro communicatis: ubi etiam ait Corpuscula vaporosa ex succis

præter

præter naturalibus in hypochondriis aut utero congestis emissa Cerebrum scandere: quæ licet *Willisius* per vasorum ductus fieri velit, quis tamen est tam mentis impos, ut citissimam refectionem ex cardiaco vix deglutito, torporem ex opii pilula vix dissoluta in momento temporis per tot anfractuum & plexuum myriadas in nervis, & vasis sanguiferis occurrentes fieri credat? quod ad authenticum & probationis expers *Willisii* ratiocinium evertendum satis esse videtur ut plura addere necesse non sit.

CAP.

CAP. XIII.

Williſiana febrium Therapeia male defenſa. Vindicatoris multiplex impoſtura & mendacitas.

QUemadmodum in magnis fieri tempeſtatibus videmus, ut paulo ante quam ſint deſituræ vehementioribus ſæviant turbinibus, ita Terræ filius noſter qui hactenus ſtrenuum ſe & invere-cundum convitiatorem exhibuit, in ultimo hoc capite *Williſianæ* vindicationi coronidem impoſiturus ſeipſo impudentior & immanior evadit & authori Examinis falſitatem, impoſturam, perfidiam & quicquid uſpiam eſt criminum, eorum maxime quorum ipſe ſibi conſcius eſt, audacter affingit dum ait.

Vind. p. 170. *Hic ne non ubiq; Tui ſimilis videreris* Williſium *falſo iterum in-ſimulas,*

ſimulas, & lectoribus imponis. Caput & paginam ubi hæc occurrere aſſeris citaſti, cum tamen ne verbum illic quod tali opinioni faveat, reperiatur. & paulo poſt. *Quod Tu iam perfidè & inſidioſe quam confidenter aſſeris eum in omnis febris intermittentis principio ſuadere,* Venæ minirum Sectionem. Id. p. 111.

Hujus tam gravis criminationis *Mearam* abſolvet diatribæ de febribus pagina quadrageſima nona hæc *Williſii* Effata, nec non *Tres* Williſianas *curandæ Tertianæ* Intentiones complexa, quarum Prima eſt *ſanguinis ad naturalem temperiem reſtitutio,* ſecunda *Depravationis ſucci nutritii præcautio,* Tertia paroxyſmi febrilis inhibitio. Primam Intentionem aſſequendam ait Vomitoriis, Venæ Sectione & purgatione, præcipue in morbi principio.

At dices hæc præſidia, *Phlebotomtam* ſaltem *in Tertiana ſola* à *Williſio* imperari: *In aliis Intermittentium ſpecibus minime.* Immo

mo vero in eadem pagina immediatè post enarratas illas Intentiones hæc verba sequuntur. Atque hæ Indicationes non *tantum in febre Tertiana, sed in qualibet præterra Intermittente locum habent.*

Sed inquit vindicator *in capite & paginis ab Examinatore citatis,* Ne verbum *reperitur quod tali opinioni faveat.* Immo sané in eodem capite ab Examinatore citato id est quarto, eadem verba reperiuntur. In citatione autem paginæ obrepsit sphalma Typographicum ubi pro paginia quadrageſſima octava & ~~quin~~quageſima nona legitur quadrageſſima octava & quinquageſſima octava. Quem non *Mearæ* sed Typographi errorem fuisse non potuit ignorare Medicus Oxonienſis qui Verba periodum jam dictam tum prædentia tum subsequenta agnoscit & citat; ipsam vero periodum ommittit: quæ ejus ingenuitas Falsarii, Impostoris perfidi, Insidiosi elogia non *Mearæ* sed

Medico

Medico Oxonienſi juſtiſſime deberi clariſſime oſtendit. *Id. p. 173.*

Sed nec ſoli *Mearæ*, verum & ipſi Galeno injurius eſt vindicator, qui ejus ſenſum invertit, doctrinamq; de qua nunquam vel ſomniavit, illi aſcribit. In capite enim decimo primi ad Glauconem à vindicatore citato de ſola agitur Tertiana notha, non vero de vera tertiana de qua hic quæſtio eſt, cujus curationem in proxime præcedente tradidit Galenus nullâ venæ ſectionis mentione factâ, quam nec in Notha abſolute laudat, ſed ſi celebrari debeat, hoc eſt, ſi præſens ſit plethora, illam in principio ſuadet, cum morbi plethorici cura non debeat procraſtinari: quod etiam *Mearæ* agnoſcit & laudat, ſed prægreſſâ primæ regionis catharſi emeticâ vel dejectoriâ, ne ejus ſordes ad vaſa majora rapiantur ubi febrim ſyncopalem, aliamve ex continuarum familiâ committere poſſit.

Phlebitoniam inter intermittentium

tium initia non modo inutilem ſed & incommodam *abſente plethora* probaverat author Examinis, primo quia quum eorum cauſa in vaſis irrigatis à ramis Venæ portæ, nullibi ad cutim niſi circa anum definentibus contineatur, per venæ ſectionem educi non poſſit: Secundo quia Venæ majores exinanitæ impurum ſanguinem ex porta alliceret, unde intermittentis in Continuam fieret metaſtaſis, quod Platerus non raro contigiſſe obſervavit, quibus omnibus unam
p. 172. circulationem Platero ut ait ignotam opponit vindicator, qua velut clypeo omnes omnino excipit & avertit ictus: ſed hoc illum aſylo nos non ſemel expulimus oſtendendo quorundam vaſorum, ramorum præſertim venæ portæ, emphraxin cum circulatione in majoribus vaſis conſiſtere, quibus reſeratis ut fit per phlebatomiam, & circulatione illis reddita eorum impuritates inter circulandum in vaſa majora irrepere quid vetat?

Ejuſdem

Ejuſdem in intermittentium progreſſu poſtquam ſanguis plurium paroxyſmorum incendio incaluit, utilitatem ratione & experientia oſtenderat author examinis : Vindicator nullâ rationum ratione habitâ experientiæ fidem malæ fidei ſibi conſcius dubiam pronunciat, ac tandem interrogat *quis crederet diuturnam quartanam unico phlebotomiæ remedio* curatam fuiſſe. p. 174.

At ego te bone vir interrogo ubi dixit examinis author diuturnam quartanam *Vnico phebotomiæ remedio* curatam ? dixit quidem ſe Virum Illuſtriſſimum ſanguine bis detracto à diuturna quartana liberaſſe, cui præſidio præcipuam ſanationis laudem deberi quamvis inſinuet, alia tamen non excludit : Tu (To *unico*) ex tuo adieciſti : p. 50. non eſt autem quæſtio an ſolâ phlebotomiâ diuturna Intermittens curari poſſit, ſed an omnino convenire poſſit, quod *Williſius* negat, & multum obeſſe contendit.

Meara

Vind p. 175. Meara *uti phlebotomiam ita & purgationem non nisi in febrium intermittentium progressu admittit. An timet ille ne hoc etiam remedio humores è ramis venæ portæ in vasa majora rapiantur?*

Oxoniensis Medicus diuturnâ consuetudine tam inexpugnabilem contraxit mentiendi habitum ut nihil veré proferre nihil candide efferre possit? quæstio enim non est iuter *Mearam* & *Willisium* an ante intermittentium progressum leniter saltem purgandum sit; hoc enim uterque admittit: sed an in ipso progressu catharsis eradicativa utilis esse possit, quod *Willisius* negat ubi ait *Vomitus, purgatio & venæ sectio, nisi ab initio statim celebrentur parum opis præstant, immo sæpius obesse solent. Meara* affirmat p. 140. ubi ait *Cur eandem* (catharsin scilicet eradicativam) *in progressu post totius scilicet provisionem morbificæq; materiæ cicurationem non admittat* (Willisius) *paradoxum est.* Immo *Meara* etiam

Vind. p. 176.

etiam in intermittentium principio si humores sint fluxiles catharsin admittit tum alviducam tum emeticam etiam vehementem, quam tamen non nisi caute aggrediendam suadet, ne si humores propter tenacitatem & visciditatem sint inobedientes, aut viscerum aliquod phlegmone obsideatur, ex agitatione corpus incalescat intermittente in continuam transeunte.

Si tu in febribus continuis nunquam ansus es emetica propinare, multum metuo ne mansuetudo hæc tua & misericordia ægris in miseriam verterit, præsertim si à crapula aut stomacho chyli corrupti putrilogine referto febris incepe-rit. Vind. p. 76.

Quæstio hîc non est quid *Meara* in febribus continuis faceret vel fecerit, sed quam sibi constet Willisius, qui quamvis in continuarum initio nulla cathartica nisi omnino lenia & benigna admittat in augmento *lenia pariter & vehementia*. W. l. pp. 112, 136.

hementia eâdem industriâ vitanda
Will. pp. 112,126. *consulit quâ ventorum flamina ab ædibus incendio flagrantibus*, In viri tamen clarissimi historiâ se-
Will. p. 117. cundo morbi die hoc est in morbi (imno augmenti principio infusionis Croci metallorum drachmas decem, In historia matronæ nobilis in ipso augmento
id. p. 115. hoc est quarto die ejusdem infusionis integram unciam exhibet, quod pharmacum quomodocunque præparatum in tanta vel ma-
p. 177. jore dosi ex medicamentorum omnino lenium censu expungit *Mezra*, quicquid contra garriat vindicator, illudq; contendit in febre nec blande nec turo, efficacius tamen quocunque Galenico opera-
p. 117. ri fatetur, ut miseri ægrotantes suo damno nunquam non experiuntur.

Nam quod tu manna, Cassia, dia-
ibid. catholico melius præstarei posse asseris, quid isthec ad humores acres in stomacho fluctuantes? utpote quos leviter forte exagitant minime educunt. Succo-

Succorum acrium aut quomodocunque moleſtorum in ventriculo fluctuatio indicat, ejuſmodi ſuccos eſſe mobiles & orgaſmo concitari, quos in ipſo ſtatim principio expurgandos conceſſit *Meara* ex Hippocr. 1. aphor. 22. Idem per principium primum diem intelligendum notavit ex eodem Hippocrate 4. aphor. 10, qui (ſi purgandam ſit) authemeron purgare jubet. In orgaſmo autem quodlibet vel leviſſimum pharmacum ad humoris ſponte ad exitum properantis eductionem ſatis eſt, ut ad draſtica pyrotechniſtarum elateria recurrere non ſit opos.

Vindicator ut *Williſium* defenderet emeticum ait ab eo die quarto exhibitum, quia *non fuit citius vocatus*: Cumque *ejuſmodi medicamentum adhuc requiri videretur, nullumq; contraindicans occurreret*, faceté interrogat *an ægrum in manifeſtum vitæ diſcrimen adduci pateretur potius quam* Vind. p. 177.

Hippocratis præcepta transgrederetur.

Itané vero nullum contraindicans occurrebat? occurrebat saltem febtis augmentum in quo omnia *cathartica lenia pariter atque vehementia eâdem industriâ vitanda consulit* Willisius *quâ ventorum flamina ab ædibus incendio flagrantibus arcemus.*

Will. p. 112.

Vind. p. 177.

Sed cur Tu Willisium *die quarto ad infusionis Croci mettallorum unciam unam aut drachmas decem ascendisse affir as?*

Willisius *die quarto* matronæ nobili unciam unam, *die secundo* Viro clarissimo decem drachmas infusionis Croci mettallorum exhibuit, utrique in febris augmento, in quo omnia cathartica lenia pariter & vehementia damnat, non minus quàm ventos in ædibus incendio flugrantibus: *Meara* primam historiæ paginam citat, secundam typographi error præterivit: Medicus Oxoniensis qui neutram potuit ignorare, fraudulenter *Mea*

Will. p. 115 117.

ram

ram in mendacii suspicionem trahit, quasi *Willisio* qui tantam dosin nullatenus exhibuisset, imponere voluisset: sed lectores proprios oculos adhibeant testes.

Nauseam & ventriculi oppressionem nonnunquam à phlegmone ventriculi, aliquando à bile viscida ejus tunicis impacta provenire dixerat *Meara* p. 144. quam ante pepasmum purgari nefas sit, *Quod inquit* inquit Vindicator, *sine ratione aut authoritate merum tui cerebri figmentum est* Immo indigné sert ejusmodi symptomata ab orgasmo distingui: Ad hunc nimirum scopulum plerumque impingunt amethodici circulatores & Philosophi *per ignem*, qui nauseam quæ inanis est vomendi conatus & à causa oritur stabili, & contumace, ab orgasmo quem fluctuans & εὐκίνητος humor excitat, nesciunt dirimere, sed in utroque casu eandem purgandi violentiam adhibent, unde contingit ut in καθάρτοις præter humorem peccantem

Vind. p. 178.

ipsum etiam primigenium humidum educant: in causa magis contumace morbi materiâ immotâ febrim intendant, & ægrum ad interitum præcipitent: hinc crebræ mortes & funera: hinc familiarum orbitas & desolatio: hinc infamia præstantissimorum remediorum, qualia sunt pleraque chymicorum emetica quæ imperitorum artificum errore tanquam in cæcutientis manu spicula incerto ictu quos non intendunt confodiunt, à destinatis aberrant. Cæterum ignoscat lector quod vindicatoris genium secuti orgasmum hic ad humores in ventriculo fluctantes visi simus restringere, quanquam non ignoremus orgasmon non tam de humoribus in ventriculo quam in vasis & universo fluctuantibus corpore, exitumque appetentibus intelligendum esse.

Miror qui sunt isti sapiores medici à quibus topica pro incendii febrilis in ipso foco extinctione unicè laudantur.

Vind. p. 178. 179.

laudantur. Certè in proborum authorum monumentis nullum occurrit hujusmodi præceptum.

In proborum igitur Authorum censu non collocat Medicus Oxoniensis veteres omnes Græcos Arabas, recentiores veteresq; Latinos (quorum catalogum hîc attexere longum esset) quorum monumenta referta sunt linimentis, epithematis, embrocationibus, pulveribus cardiacis, hepaticis, splenicis, &c. Consule unum Riverium qui cap. 2. de febr. putridis continuis ad calorem febrilem contemperandum, partes principes confirmandas, fuligines evocandas hepati, Cordi, ventriculo, lumbis Renibus, Testibus, manibus pedibusq; epithemata, lininenta, aliaque refrigerantia adhibet: immo ad antiquorum imitationem universum corporis ambitum balneis aquæ dulcis contemperandum docet: Sed hanc *indicationum* & medicamentorum *catenam sesquipedalem* reiicit Medicus Oxoniensis

sis, solis emeticis feré aut forté spiritu cornu Cervini aut foliorum ulmariæ decocto contentus.

Sed inquit Medicus Oxoniensis, *Vind. p. 179.* *Qui febrim in sanguine fundari ipsumq; sanguinem circulari agnoscunt, praxin istam non nisi raro necessariam ducunt.*

Qui ætiologian febrilem ineptam statuunt quemadmodum Professor Sidleianus, ejusq; Patronus, qui sanguinem, non partes, agnoscunt immediatum febris subjectum, quid mirum est si in praxi graviter errent, præsidiaq; utilia negligant? Verum sive sanguis circuletur sive non: immo sive febris subjectum statuantur partes sive sanguis, parum refert ad hanc controversiam: Quemadmodum enim liquoris cujuscunque quantumvis calidi canalibus frigidæ immersis, tum canales ipsi, tum liquores in illis contenti refrigerantur, ut experiuntur aquarum ardentium distillatores, qui impedit quo minus idem ad topicorum refri-

refrigerantium applicationem sanguini ejusq; canalibus contingat?

Tibi autem perpetuo concedatur, Vind. ibid.
sed tanto cum fructu quanta cum veritate asseris incendii febrilis focum circa ramos venæ portæ delitescere.

Memineris Terræ-fili sermonem hîc esse de febribus continuis, non de Intermittentibus, *Mearamq;* harum focum in Ramis venæ portæ, illarum in vasis majoribus constituere: Tibi autem (ut Tuo Tego Telo conficiam) *tam Cretense est ingenium, ut nihil vere aut candide transcribere aut recitare valeas.*

Tu interim sicut tuus est mos, falso asseruisti Topicomm nulla in historiis Willisianis *extare vestigia.* Vind. p. 180.
& paulo post. *In casu illustris fœminæ febricitantis, cui tandem regio ventriculi & sinistri hypochondrii intumescebat fotum iis adhibendum instituit.*

Hîc iterum par est *Terræ-filio* aurem vellicare, eumq; monere quæ-

quæstionem esse non de febribus *intermittentibus* (in quibus *Mearæ*, *Willisio* Topicorum omissionem non exprobrat) sed de *continuis*. Quin immo quum non *Vestigia*, sed *unicum solummodo Topicorum Vestigium* in historiis *Willisianis*, illudque *Unicum*, non inter *continuarum* historias de quibus sermo erat, sed in *Intermittentibus* exter, ut fatetur vindicator, p. 180. Quid mirum si *Mearæ* attentionem *Willisii* ambagibus delassatam effugerit? Nostram autem attentionem non effugiet Eua *Terræfili* astutia, qui quum temerarium *Willisii* conciuium *Iuveni studioso* datum sed salubri amicorum meticulositate præventum excusare non possis, Apologiæ convitia interseris, ut inter vociferationes inobservatus evadas. Quid autem pernicosius excogitari potuit quam in *febrili incendio, die morbi quarto, latere dextro dolente*, & *utroque hypochondrio distento* Emeticum proponere? Quam Temeritatem à *Willisio*

Exam. 146

lisio amovere & in Ignotum aliquem derivare modestè conatus est *Author Examinis*, pro qua ejus benevolentia tu illi opprobria & contumelias regeris. Cæterum quum non in morbi progressu, ied principio dextrum latus doluerit, & hypochondria distenta fuerint *Iuveni huic studioso* videat Medicus Oxoniensis an Topica ad morbi progressum differenda sint, donec sc. *sanguis visceribus faculentias suas affigat*, quod insinuat non solere citius contingere p. 179. *Will. p.* 146.

Si tu istorum (Hippocratis & Galeni) *Crisiologian ad nostras regiones & incolas transtuleris, aut ego fallor, aut tibi pseudoprophetæ & judiciariis istis tuis Regulis Vespillones multum debituri sunt.* *Vind. p.* 180.

Fama est *Abderitas* quum olim flagrante sole *Andromedam* Tragœdiam sub dio spectassent contractâ ex nimio æstu febre ac phrenitide, inter deliria Tragi-

cos Jambos perpetuo feré detonaſſe. Idem propemodum Oxonienſi Medico accidit, qui cum olim ut in Contumeliarum ſuggeſto Terræ-filium ad vivum exprimeret, ſcurrilitati & Convitiis ſtrenuam navavit operam, nunc quamvis perſonam depoſuerit, ſcurrilitatem tamen cui aſſuevit, deponere non poteſt, ſed in eandem etiam inter ſeria relabitur, á qua adeo ſibi temperare non poteſt, ut non examinatorem modo, ſed & *Hippocratem* & *Galenum* inſectetur, quorum *Judicianiis Regulis* Veſpillones multum debere profitetur. At, bone Vir, ſi *Hippocratis & Galeni* authoritati nihil concedendum exiſtimaſti, Examinatoris ſaltem Rationi reſpondere debuiſti quâ probavit *Williſium* Matronæ quinquagenariæ hiſtoriam in morbi motu diligenter obſervando non rectè tradidiſſe, vel morbum die octavo non fuiſſe *perfecte & cum omnibus ad bonam criſmi neceſſariis judicatum*,

tum, propterea quod, ipso etiam fatente *Willisio*, materia morbifica dum ad huc cruda est salutariter nequeat excerni; ut coquatur autem, unum saltem quaternionem requiraat, cum natura nihil agat repentinum, sed gradatim ad statum usq; materiam morbificam subigat, eâdemq; feré proportione ad excretionem præparet: Concoctio autem cum hic non apparuerit ante octavum, conficitur crisin salutarem ante undecimum contingere non potuisse.

Sed eruditè quærit Vindicator *unde Examinatori constet in Matrona illa concoctionis signa ante diem octavum non apparuisse*, additq; ex *Willisii historiâ probabile esse pepasmum die sexto incepisse quoniam isto die sudoris eruptio & caloris sedatio quædam contingebat.* Vind. p. 181.

Verum ut fileam vindicatoris assertionem *Willisio* injuriam esse, qui sextum diem inter *Indicatorios* nunquam, ut arbitror, referret, ipse *Willisius* Interrogationi satisfacit

faeit, dicendo octavo die in Urina
Will. p. 115. *hypostaseos vestigia quædam*, quæ
p. 117. paulo post *signa concoctionis* appellat, apparuisse; nullaq; alia concoctionis signa visa commemorat, ut ex sola Urina, concoctionis signa dignoscenda esse insinuet, quod & omnium aliorum medicorum calculis confirmatur qui sudoris eruptione morbum nonnunquum
Vind. p. 118. solui non concoctionem significari existimant.

Verum enim vero ut paulo liberius quod sentio, de crisibus loquar, licet fatendum sit febrium solutiones per evacuationes criticas interdum contingere hoc tamen in his regionibus non semper nec eodem prorsus modo quem Hippocrates & Galenus descripserunt fieri contendimus.

Quæst hic est an prout asseruit *Willisius* Matrona quinquagenaria *cum omnibus ad bonam crisin necessariis* octavo die perfecte fuerit judicata. Negavit *Meara* quia fatente *Willisio* Crisis in eundem

dem incidit diem in quo ſigna concoctionis, vel potuis qvædam concoctionis veſtigia in urina primum apparuerunt, quod fieri non potuiſſe jam ex examinatore oſtendimus. Vindicator nullo alio occurrente effugio dicit criſes in his Regionibus non eodem modo contingere quem deſcripſerunt *Hippocrates* & *Galenus* : Cujus diverſitatis duplicem aſſignat cauſam, aeris ſc. frigiditatem & ſcorbuticæ labis frequentiam : Ratione Cæli frigidioris ſanguinem ait *non accendi æqualiter* ? Ratione ſcorbuti materiam morbificam *non tam facile coqui aut ſecerni.* Atqui ſapientiſſime Terræ-fili. Si in his regionibus ambientis frigus & labes ſcorbutica materiam morbificam reddunt tum accenſu difficiliorem, tum concoctu cohtumaciorem ſequitur ſané diuturniorem ſubactionis moram ad materiam ejuſmodi δύσκολον καὶ δύσπεπτον requiri; proinde q; tantum abeſſe ut criſes in his regionibus in eundem

cum

cum incipiente pepasmo diem contingant, ut potius multo debeant esse tardiores illis quæ in regionibus calidioribus & à labe scorbutica immunibus contingunt, quas tamen uno saltem quaternione incipiente pepasmo posteriores esse debere supra evictum est.

Cæterum Examinator, ut hanc responsionem priusquam nascereturoppugnaret, *Willisium* monuit Hippocratem *Iudiciarias suas Regulas* veras deprehendisse in *regionibus calidissimis frigidissimis & temperatis* sub quarum constitutionum aliqua necesse est Angliam collocari: Et quamvis fatendum sit febres continuas saltem primarias alibi frequentiores esse quam in Anglia, ubi propter ambientis & alimentorum crassitiem febres vel Intermittentes vel symptomaticæ à viscerum infarctu vel inflamatione pendentes magis contingunt, quid obsecro impedit febres etiam continuas primarias in

Exam. p. 151.

Anglia

Anglia quando contingunt, eodem quo in aliis regionibus modo terminari, quum Natura non impedita eodem modo semper agat, certumque sit etiam in Græciâ & Italiâ, in quibus instantias facit Vindicator, multoties tum febres inæqualiter accendi, tum materiam morbificam concoctu contumacem occurrere, quibus non obstantibus, crises juxta Judiciarias Hippocratis & Galeni Regulas contingere conspiciuntur.

Quare observare est in quibusdam febribus crisin omnino nullam succedere. Fatendum est sæpenumero febres solvi paulatinâ desitione, non crisi manifestâ, materiâ morbificâ sensim admittente concoctionem, perq; poros cutis insensibiliter feré expirante, vel per copiosam urinam excretâ, non tantam tamen quæ perirrhœæ appellationem mereatur (hæc enim perfecta esset crisis) vel aliâ quacunque evacuatione non admodum sensibili consequente. *Vind. p.* 182.

Fatendum præterea est & magnopere dolendum in febribus acutis crises (saltem salutares) in Angliâ raro observari, non tam aeris aut materiæ morbificæ vitio, quam medicorum *Judiciarias* Hippocratis & Galeni *regulas* spernentium culpâ, qui non observato morbi motu, aut naturæ inclinatione, omnibus indifferenter ægris præscribunt cathartica, emetica, hidrotica, hypnotica, epispastica, nec advertunt φυσίας ἰήτρους esse γίνων 6. epidem. S. 5. Medicumque naturæ ministrum, eó quó natura vergit intentum, intempestivis præsidiis ejus motum, nisi perniciosus sit, impedire non debere aut invertere, vel eandem quietam & coctioni intentam ad novum ἐπέθεσμον irritare.

Vind. p. 183. *Verum hîc liquet redarguitiones tuas ad fundum & usq; ad fæces exhauriri.* Nos particularibus instantiis ad singulas fere periodos lectores edocuimus Medicum Oxoniensem id præcipuè egisse ut difficul-

difficultates omnes è conspectu abduceret.

Quin immo intra ultimos lædendi conatus (ne in posterum credamus venenata animalia in Hiberniâ non nasci) totum evomis virus ipso aspidum veneno venenosum magis. & postea. *Indiciis satis manifestis quam sis malevoli & exitialis animi ad mortes & neces intendendas paratissimi: absit ut* Willisio *aut mihi aut cuipiam cui non intime faves, pharmacum propines, &c.* *Ibid & p. 184.*

Quantus Irarum æstus! nec sanè immerito. Optaverat *Meara* eorum insciti am & audaciam Civili gladio coerceri, qui per Emetica in febribus exhibita, plures omnino mortales jugulant quam sicarii aut publici grassatores: propterea *Willisius* ejusque patronus indignantur & excandescunt: quis autem ægré ferat mulam intertrigine rectatâ recalcitrare.

Vindicationis *Williſianæ* tædium tandem exantlavimus, ſuperest appendicula, ejuſdem cum reliqua tela texturæ, in qua inprimis hiſtorias *Mearæ* medicas deteſtatur *Terræ-filius* quas ſtatuerat *ſeriatim evoluere, rationes quantum à vero diſtant oſtendere, ſingulorum* φαίτομενων *genuinas ſolutiones ſubſtituere.* Sed prudenter abſtinet: frendet tamen & nudis dentibus oblatrat.

Vind. p. 185.

Poſtea non illepidè *Mearam* criminatur quia contra D. Martinium, qui Latinè neſcit, vernaculo idiomate ſcripſit, eique ſui, ſi luberet, defendendi copiam non præcluſit.

In vindicando D. *Bidgood* (digno ſané Patellâ operculo) operoſior eſt, & ut ſibi videtur non paulo ingenioſior: adeoque poſtquam enumeraſſet obſervata in diſſectione nobiliſſimi Ephebi, *Ecchymomata* ſc. *circa muſculos tranſverſos, peritoneum nigricans & putridum, omentum &*

Vind p. 188.

meſ.

meſenterium extenuatum & omni pinguedine ſpoliatum, & hepar in parte concavâ lividum quærit ſed non ſine ſoloecismo, *an quia omentum & meſenterium extenuata omni adipe ſpoliabantur,* Meara *infert eadem abſceſſu ac ſphacelo correpta fuiſſe.*

Sapientiſſime Terræ-fili, *Meara* ex eo præciſé omenti vel meſenterii abſceſſum aut ſphacelum non colligit, quod fuerint extenuata aut exhauſta, ſed ex eo quod in cavis hepatis, livor in peritonæo & abdominis muſculis nigrities & putredo apparuerint, colligit ſubſtantiam nigricantem, quam quartò per vomitum rejectam agnoſcit D. *Bidgood*, ipſiſſimam fuiſſe ſubſtantiam omenti & meſenterii non extenuatam tantum, ſed exhauſtam & excretam, cujus corruptela vicinas utrinque partes, hinc ſc. cava Hepatis, inde Peritonæum & abdominis muſculos (non inteſtina utpote longius remota,

quæque ſolummodo in tranſitu attigerat) putrilaginis communione infecerat: Nec exiſtimat neceſſe eſſe tumorem aliquem conſpici aut cyſtim in cadavere defuncti qui toto morbi decurſu, tantam dejectionum fætidarum copiam, nec non ipſam partis affectæ ſubſtantiam totiesexcreverat.

Vind. pp. 192, 193. Sed inquit Medicus Oxonienſis, aliam Liveris hepatis, aliam Ecchymomatum & nigredinis Peritonæi cauſam vidiſſet *Mearæ*, ſi quidquam in Anatomia ad quam tamen hæc conſideratio nullatenus pertinet, verſatus fuiſſet,: Livoris quidem Hepatis exudationes cystidis felleæ, Ecchymomatum & nigredinis Peritonæi Topica calida applicata. Sed ut omittam falſum eſſe, flavam bilem Hepati livorem abſque Necroſi inducere poſſe, Medicus Oxonienſis aſſuetum *Falſificationis* & *Impoſturæ* artificium ad extremum uſq; ſpiritum retinet: nam quamvis p. 189. verba *Williſii* Peritonæi non ſolum nigredi-

nigredinem sed etiam putredinem commemorantis integra retulerit, in hac tamen penultimâ paginâ solius nigredinis meminit ut solius *Coloris mutationem*, non etiam *substantiæ corruptionem* factam fuisse fraudulenter insinuaret.

FINIS.

ERRATA.

P 10. l. 15. l. *malcdiocendi* p. 11. l. 14. l. *cadit*. p. 30 l. 27. l. *ſanguinis* p. 37. l. 13 l. *ambigamus* p. 41. l. 6. l. *ſed an*. p. 45. l. 25. l. *ſcabunt*. p. 48 l. 4. l. *eſſentiam* p. 66. l. 14. l. *dicata*. p. 69. l. 9. l. *propriæ*. ibid l. 10. l. *ac*. p. 82. l. 20. l. *niſi*. p. 96. l. 9. l. *meditatur*, p. 110 l. 3. l. *intelligit*. p. 112 l. 4. l. *diſtinguitur*, p. 113. l. 20. l. *linea*, p. 119. l. 22. l. *loco* p. 127. l. 5. l. *minimé* ib. l. 6. l. *negavit*, ib. l. 11. l. *poſſint*, p. 133, l. 6. l. *ſanguis nimium*, p. 134 l. 6. l. *lipothymiam*, p. 153. l. 15. l. *cardiaco*, p. 156. l. 10. l. *cœpiſti* p. 168. l. 12. l. *arterioſi*. p. 173. l. 18, 19. l. *experimur*. p. 175. l. 1. l. *obſervare* p. 176. l. 14. l. *incantamento* p. 181 l. 25. l. *Sannam*. p. 184. l. 17. l. *quid* p. 194. l. ult. l. *eludit* p. 209. l. 7. l. *Panificium* p. 210 l. 13. l. *igitur* p. 217. l. 6. l. *aquæ* p. 241 l. 18. l. *nervoſæ* p. 256. l. 20. l. *prorſus* p. 268. l. 26. l. *debere* p. 273. l. 1. l. *fixoriam* p. 300 l. 23. & 24. l. *præcedentia tum ſubſequentia* p. 312. l. 26. p. *quid*.